DE
PRAEPOSITIONUM USU APPIANEO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

EDIDIT

FRANCISCUS KRUMBHOLZ
RODENSIS

IENAE

TYPIS A. NEUENHAHNI

1885

Diu multumque mihi recentioris aetatis scriptores Graecos legenti permulta inusitata et a communi Attice dicendi genere aliena occurrebant. Nec id mirum: nam Graecorum sermo, cum illis temporibus, quibus Graeciae civitates liberae erant suisque legibus utebantur, elegantia et gravitate floruisset summa, post libertatem amissam tam celeriter coeptus est immutari ac paene delabi in peius, ut illarum virtutum, quibus antea excelleret, vix quicquam relinqueretur. Quam mutationem vel, ut ita dicam, degenerationem cognoscere perutile est ac fructuosum. Ad eam autem Graecorum dialectum, quae *κοινὴ* vocatur, cognoscendam quanta utilitas ex illorum temporum scriptoribus tractandis percipiatur, neminem potest fugere harum rerum studiosum. Recentiorum enim scriptorum rationem dicendi si quis habebit melius perspectam, qualis fuerit illa aetate lingua Graeca, animo fingere et informare sibi poterit.

Sed cum Attici, qui dicuntur, scriptores manibus nostris paene terantur, recentioris aetatis non modo non omnes scriptores ab omni parte satis explanatos esse sed multos eosque nobilissimos iam restare[1]), quorum elocutionem nemo ne summis quidem lineis criticaque subtilitate digesserit, nemo ignorat. Quae quidem res cum me permovisset, ut quantum in me est huius vel illius scriptoris consuetudinem loquendi accuratius exquirerem, factum est, ut omni-

1) cf. G. Bernhardy, Paralip. gr. Gr. p. 14.

um primum ad Appianum me converterem et perscrutarer, qui esset huius scriptoris usus dicendi. Etenim ne hunc quidem vitiis linguae languescentis vel senescentis vacare et, quae ab Atticorum sermone plus minusve recederent, praebere inveni. Ut hoc unum e multis afferam, praepositionem ἀμφὶ locali vi dativo adiunctam[1]) usurpari potuisse apud Atticos prosae orationis scriptores frustra quaeras. Multa autem eiusdem, ut ita dicam, soloecismi exempla ex illorum inferioris linguae scriptorum libris petita enumerare possum, sed longum est. Neque est huius loci nec temporis aut de posterioris aetatis sermone Graeco aut de Appiani ratione loquendi in universum disputare; nunc mihi propositum est illustrare, quae sint apud Appianum praepositionum usus proprietates. Nam in hac quoque re, ut iam supra leviter perstrinximus, apud recentiores scriptores Graecos multa et ab Atticorum sermone discrepantia exstare iam T. Mommsenius[2]) et Fr. Krebsius[3]) aliique sat clare demonstraverunt.

Duae vero potissimum res in Appiani libris legendis praepositiones paulo accuratius contemplanti occurrere mihi videbantur: frequentissimus usus praepositionum et eius immutatio ab Atticis longe diversa. Itaque in hoc opusculo conscribendo rem ita instituendam esse censui, ut agerem primum de frequentia, deinde de significatione praepositionum; de collocatione et cum aliis vocabulis coniunctione, cum nihil, quod commemoraretur dignum, investigare potuerim, disserere supersedeo.

I.

Si quis in Appiani libris tractandis studium suum et operam collocaverit, in eorum genere, quae illius sermonis singularia ac propria inveniuntur, praepositionum usum

1) cf. Appian. Hann. 17. Pun. 3 etc.
2) cf. Frankfurter Jahresber., Ostern 1874, 1876, 1879.
3) cf. Fr. Krebs, Die Praepositionen beiPolybius.

longe lateque patere facile intelleget. Quod quo magis cognoscatur, omnes praepositiones ab Appiano usurpatas ratione singulorum casuum habita proponamus:

	gen.	dat.	acc.	
εἰς (ἐς)			4890	4890
ἐπί	441	948	1024	2413
ἐν		1905		1905
ἐκ	1270			1270
ὑπό	775	132	30	937
περί	420	31	428	879
διά	264		536	800
κατά	127		641	768
μετά	479		266	745
ἀπό	632			632
πρός	102	14	468	584
παρά	225	89	201	515
σύν		398		398
ἀμφί	5	15	248	268
ὑπέρ	164		85	239
πρό	177			177
ἀντί	167			167
ἀνά			85	85
	5238	3532	8902	17672

Quos numeros qui inspexerit, facile sibi persuadebit id quod demonstraturi sumus. Invenimus enim, si editionis Teubnerianae contextum secuti rationem arithmeticam facimus, in pagina apud Appianum 21—22 praepositiones, quem numerum apud Atticos scriptores haud facile reperias. Hoc ut exemplis illustrem, commemorabo Atticos, qui dicuntur, decem oratores, qui quantum ab hac Appiani proprietate loquendi recederent, Krebsius in commentatione sua adnotavit [1]). Nam reperiuntur apud

Antiphontem 11—12 praepositiones

1) cf. p. 4.

Andocidem	13	praepositiones
Lysiam	15—13	„
Isocratem	14—13	„
Isaeum	11—12	„
Hyperidem	16—17	„
Lycurgum	12—13	„
Dinarchum	16	„

Hanc, quam modo diximus, Appianeae elocutionis proprietatem omnino apud posterioris linguae scriptores Graecos nobis obviam fieri ut demonstrem, liceat mihi afferre nonnullos, quorum libros aut ad umbilicos pervolvi aut magna ex parte perlustravi. Exstant autem in pagina apud

Polybium [1])	20—21	praepositiones
Diodorum	20—21	„
Dionysium Hal.	19—20	„
Strabonem	20—21	„
Josephum	14—15	„
Plutarchum	18—19	„
Arrianum	20—21	„
Cassium Dion.	17—18	„
Herodianum	15—16	„

Cuius rei causas, quae variae sunt ac multae, cum Krebsius [2]) plures iam explicaverit, paucas solum easque commemoratione dignissimas proferam, quas si quaesiveris inde repetendas esse videbis, quod

1) plurimum valent variae circumscriptiones. Huius dicendi usus exempla quamquam apud Atticos quoque reperiuntur singula, tamen in eo maiore libertate usos aliquantoque Atticorum modum recentiores egressos esse apparet. Circumscribuntur igitur et nomina (substantiva, adiectiva) et casus (genetivus, dativus, accusativus), quam rem exemplis breviter absolvamus.

a) Ut omittam locos, quibus articulus cum praeposi-

1) cf. Krebs. l. l. p. 4.
2) cf. id. l. l. p. 5.

tionibus coniunctus in substantivorum locum succedit, quae dictiones, quales sunt οἱ ἐν ἄστει, οἱ ἐν τέλει, οἱ ἀμφί (περί) τινα vel aliae, apud Atticos quoque frequenter admissae leguntur, ea solum exempla adscribam, quae Appiani omninoque posteriorum scriptorum propria duco. Permultis enim locis Appianus pro οἱ βουλευταὶ vel pro adiectivo βουλευτικὸς adhibere solet locutionem per praepositionem ἀπὸ effectam aut apposito nomine ἀνὴρ vel adiectivo vel pronomine quodam (τὶς) aut enuntiato per pronomen (ὅς, ὅσος etc.) formato. Spectandi sunt loci: Hisp. 99: ἔπεμψαν ἀπὸ τῆς βουλῆς ἄνδρας δέκα. Ill. 13: ἔφθειραν Βαίβιον, ἄνδρα ἀπὸ βουλῆς. Civil. I, 106: τὸ λέχος ὑποδύντες ἀπὸ τῆς βουλῆς ἄνδρες. — Hann. 25: ἀπό τε τῆς βουλῆς πολλοὶ παρόντες ἐτελεύτησαν. Civil. I, 93: πολλοὺς δ' ἀπὸ τῆς βουλῆς (διέφθειραν). V, 48: κατήεσαν πολλοὶ μὲν ἀπὸ τῆς βουλῆς. Mithr. 121: πέμπεταί τις ἀπὸ τῆς βουλῆς. — Hann. 28: ὅσοι δ' ἦσαν ἀπὸ τῆς βουλῆς. Civil. I, 65: καὶ ὅσοι ἀπὸ τῆς βουλῆς ἐπεδήμουν. Alia exempla reperies Hann. 18. Mithr. 51. 90. Civil. I, 65. 71. 79. 86. II, 2. 50. 67. 72. IV, 5. 69. 70. 89. 90. V, 101. Similiter comparati sunt loci Hann. 57: οἱ ἀπὸ τῶν ἀγρῶν. idem: Civil. II, 30. cf. οἱ ἐκ τῶν ἀγρῶν: Hann. 39. Civil. I, 14.

Latius patet hic dicendi usus apud Polybium, cf. Krebs. p. 60. Ex aliis inferioris aetatis scriptoribus haec exhibeo exempla: Arrian. exp. Alex. III, 5, 7: μηδένα τῶν ἀπὸ βουλῆς ἐκπέμπων. Herodian. VII, 1, 4: συμπνεόντων καὶ τῶν ἀπὸ τῆς βουλῆς ἁπάντων. VII, 9, 1: Καπελλιανὸς γάρ ἦν τις ὄνομα, τῶν ἀπὸ συγκλήτου. idem VII, 11, 1: ἀνδρῶν τῶν ἀπὸ συγκλήτου. Plutarch. οἱ ἀπὸ βουλῆς: Aem. Paul. 31. Sert. 24; similiter Cat. 62. Caes. 10. 35. Tib. Gracch. 18. Pomp. 61. — οἱ ἀπὸ σκηνῆς: Sull. 2. Demetr. 12. — οἱ ἀπὸ φιλοσοφίας: Cat. 54. Ita plerumque apud recentiores significantur ii, qui disciplinam alicuius philosophi sequuntur: οἱ ἀπὸ Πλάτωνος: Plutarch. Brut. 2. Lucian. de paras.: ἑτέρως μὲν γὰρ Ἐπικούρῳ δοκεῖ τὰ πράγματα ἔχειν, ἑτέρως δὲ τοῖς

ἀπὸ τῆς στοᾶς, ἑτέρως δὲ τοῖς ἀπὸ τῆς ἀκαδημίας, ἑτέρως δὲ τοῖς ἀπὸ τοῦ περιπάτου = aliter enim se res habere videtur Epicuro, aliter Stoicis, aliter Academicis, aliter Peripateticis [1])

b) Similem circumscribendi rationem secutus est Appianus in singulis casibus, quorum quae aptissima videntur exempla commemoremus. Et circumscriptum quidem saepissime in Appiani libris legimus

α) partitivum, qui vocatur, genetivum. Conferri velim locos, quibus aut *ἀπὸ* aut *ἐκ* praepositio his circumlocutionibus inservit. Hann. 38: *οὐδενὸς ἀπ' ἐκείνων αὐτῷ συμβαλεῖν δυναμένου.* Pun. 3: *ἀπὸ γὰρ τρισμυρίων ἀνδρῶν ὀλίγοι διέδρασαν.* Civil. I, 103: *ἀπὸ δὲ τῶν ἱππέων δισχιλίους.* III, 46: *ἀπὸ τοῦ δήμου τὸ ἀξιολογώτατον* (*ἀφίκετο*). V, 114: *πολλοὺς ἀπὸ σφῶν ἀπολλύντες* multaque alia. Saepius hoc sensu adhibita praepositio *ἐκ* reperitur; e numero exemplorum haec proferamus: Hisp. 63: *ἐκ μυρίων ἑξακισχίλιοι διέδρασαν.* ibid. 78: *πολλοὶ μὲν ἐκ τοῦ πλήθους ἀπέθανον.* Hann. 39: *βραχὺ πολίχνιον ἐκ τοσῶνδε ἀποικιῶν μόνη.* Pun. 52: *ἐς τὴν σωτηρίαν δύο ταῦτα φέρομεν ἐκ πάντων.* ibid. 107: *ὁ δ' ἐπήνεσε μὲν ὡς ἀξιοπιστότατον ἐκ πάντων.* Civil. III, 19: *ἀξιοτιμότατον ἐκ πάντων γενόμενον;* ita semper fere post superlativum *ἐκ πάντων* = *πάντων.* cf. Civil. III, 32. 33. 34 (bis) 43. 54 etc.

Sed haud scio an, ut fieri solet, non desint, qui contendant hanc dicendi consuetudinem apud superiores quoque scriptores Atticos inveniri. Sane quidem leguntur apud hunc vel illum nonnulla exempla, sed quod quidem sciam, recentiores hac in re sunt frequentiores. E Xenophontis [2]) hist. Graec. tria solum exempla sunt adnotanda: I, 2, 9: *ἀπο-*

---

1) cf. Fr. Vigeri, de praecip. graec. dict. idiotismis liber, ed. G. Hermannus, p. 579.

2) Hoc loco praemonere velim, quo quae sit Atticorum quae Appiani consuetudo dicendi planius illustretur, nonnulla semper exempla aut e Thucydidis aut e Xenophontis libris petita me esse laudaturum.

κτείναντες ἐξ αὐτῶν ὡς εἰ ἑκατόν. V. 4, 15: *κατέλιπε Σφοδρίαν καὶ ἀπὸ τῶν συμμάχων τὸ τρίτον μέρος ἑκάστων.* ibid. 40: *τὰ δέκα ἀφ' ἥβης ἐκ τῶν ὁπλιτῶν ἔθει σὺν αὐτοῖς.*

Duo quoque occurrunt exempla Appianea, in quibus pro genetivo pretii posita est praepositio *ἀπό:* Pun. 127: *δῶμα χρυσήλατον ἀπὸ χιλίων ταλάντων σταθμοῦ περιέκειτο.* Syr. 47: *στέφανόν τε Ῥωμαίοις ἀπὸ χρυσίων μυρίων ἔπεμψαν* [1]).

β) Locorum, ubi pro simplici dativo praepositiva verborum constructio in Appiani libris legitur, hos vocare in lucem satis habeo: plerumque enim Appianus in rebus bellicis gerendis apponere solet copiis vel navibus praepositiones *σὺν* vel *μετά*, quarum loco apud Atticos solus dativus [2]) sollemnis est. Prioris generis haec afferentur exempla: Hisp. 14: *Τιβέριον μὲν Σεμπρώνιον Λόγγον σὺν δύο στρατοῦ τέλεσιν ἐς Λιβύην ἔπεμπον.* Pun. 31: *ἐπιπλευσομένων σὺν μεγάλοις στρατοῖς.* Ill. 13: *Οὐατίνιον ἔπεμψε σὺν στρατοῦ τέλεσι τρισὶ καὶ ἱππεῦσι πολλοῖς.* Mithr. 65: *ἀφίκετο Μιθριδάτης σὺν τῷ πλείονι στρατῷ.* Civil. V, 56: *αὐτὸν σὺν ναυσὶ πολλαῖς καὶ τέλεσιν ἐκπέμψας.* Posterioris haec: Hisp. 17: *αὐτὸν ἐξέπεμπον μετὰ χιλίων ἱππέων καὶ πεζῶν.* Pun. 44: *ἀντιπαρῆγε μεθ' ἑτέρου στίφους.* Mithr. 35: *μεθ' ἑτέρας στρατιᾶς ἐμβαλών.* Civil. IV, 102: *μετὰ τοῦ ναυτικοῦ καὶ τέλους παραπλεῖν.* V, 58: *προσιὼν μετὰ χιλίων ἱππέων* et alia. Quamquam tenendum est hanc quoque Atticorum consuetudinem, ut in his locutionibus merus dativus adhiberetur, Appianum secutum esse ita tamen, ut quinquies frequentius apud eum has praepositiones quam solum casum scriptum esse facile ratiocinemur.

Hic commode notemus locos, ubi non modo in militibus vel navibus sed in aliis etiam rebus inanimis cum Attici participium aliquod (*ἔχων, ἄγων, φέρων, λαβών*) ponere soleant,

1) cf. Polyb. XXI, 30, 10. XXIII, 1, 7. Diod. XXXI, 28, 29. Plutarch. Max. 4. Marc. 8. Luc. 24. 29. Cat. 11. Cleom. 12.

2) cf. Krueg. 48, 16, 18.

Appianus magna ex parte usurpavit has, de quibus quaeritur praepositiones, cuius usus exempla (sunt autem in Appiani libris [1]), plus quam ducenta (afferre nolo, cum res per se pateat. De aliis dativi generibus velut dat. causae, modi, instrumenti etc. alio loco me disputaturum esse moneo.

γ) Accusativi vero circumscripti exempla, quae frequentissima omnia enumerare longum est, pauca solum adnotemus. Sicil. 7: *ἁρμόσασθαι ἑαυτὸν ἐς γυναῖκα.* Hann. 32: *τὰ δ' ἐκτὸς ὡς ἂν ἐς κυνηγέτας ἐσκευασμένους.* Civil. IV, 40: *ἐς ἀνθρακέα ἐσκεύασεν.* Similiter IV, 45. 46 (bis). Huc quoque fortasse spectat, quod legimus IV, 45: *ἐς στρατηγοῦ σχῆμα κοσμήσας ἑαυτόν.* Hisp. 54: *πεντήκοντα ἄνδρας ἐς ὅμηρα (δοθῆναι).* Mac. 18, 2: *ὁ δὲ χλαμύδας μέν τινας ἐπήγετο καὶ ψέλλια χρυσᾶ καὶ ἵππους ἐς δωρεὰν τοῖς ἡγουμένοις.* Civil. III, 23: *ἐς λύτρα ὑπὸ σμικρολογίας δύο τάλαντα ἐπεπόμφει* et alia. In his exemplis, qualia sunt a me prolata, nomina apud Appianum e praepositionibus suspensa alias praedicative, si ita dicere licet, construi nemo negabit. Iam sequuntur loci, quibus aliam vim accusativi per praepositionem *ἐς* circumscribi videmus [2]). Hisp. 46: *ἐς τὴν κεφαλὴν λίθῳ μεγάλῳ καταπίπτοντι πληγείς.* Mithr. 88: *πληγέντα λίθῳ τε ἐς τὸ γόνυ.* Similiter Hisp. 56. Civil. II, 95. Pun. 46: *ἐς τὸν βραχίονα ἐτρώθη.* Civil. I, 43: *τρωθεὶς ἐς τὴν κεφαλήν.* Similiter Civil. I, 110. II, 60.

Etiam multo clarius hoc evadat, si sequentes locos respicias, ubi post verba *εἶναι, γίγνεσθαι* cum adiectivo quodam coniuncta usurpatur haec praepositio ante neutrius generis adiectiva plerumque in plurali numero posita, cuius loco merum accusativum adhibere scriptoribus Atticis usitatum fuit [3]). Samn. 1, 2: *μὴ οὐδ ὁ ἴδιος αὐτῷ στρατὸς ἐς*

---

1) Animadvertas apud Appianum satis frequenter admissas praepositiones *σὺν* et *μετά*, vide supra earum enumeratos locos p. 5.

2) Krueg. 46, 4.. Kuehn. 410, 6.

3) cf. Krueg. 46, 4 adn. 4 et 5. Kuehn. 410, 3 adn. 5 et 6 adn. 16.

πάντα ἦ πιστός. Hisp. 71: *ἵνα ... ἐς πάντα ἕτοιμος εἴη.* Pun. 118: *καὶ ἐς πάντα ὢν περιδεής.* Mithr. 112: *καὶ σώφρων ἐς πολλὰ καὶ φερέπονος ἄν.* Civil. I, 5: *ἐπιτυχὴς ἐς πάντα καὶ φοβερὸς ὤν.* 83: *Ῥωμαίων ὄντων ἐς τὰ τοιαῦτα βαρυεργῶν.* 109: *ἀγέρωχον ἐς τὰ τοιαῦτ' εἶναι.* IV, 134: *αὐτοῖς ἀντίθετον ἐς ἅπαντα ἦν τὸ ἄγος.* — Hisp. 17: *ἄνδρες ἐς πάντα ἀγαθοὶ γενόμενοι.* Hann. 44: *συνήθης ἐς πάντα γεγονώς.* 46: *ὡς ἐς πάντα γεγονότος ἀπίστου.* Pun. 19: *μὴ ... ὁ στρατὸς ἀσθενέστερος ἐς πάντα γίγνηται.* Mac. 16: *καὶ σκαιὸς ἐς πάντα γενόμενος.* Civil. I, 104: *ἐς πάντα σφοδρὸς ὁμοῦ καὶ δυνατὸς γενόμενος.* II, 26: *καὶ ἐς πολλὰ χρήσιμον τῇ πατρίδι γενόμενον.* 74: *νωθῆ καὶ βραδὺν ἐς ἅπαντα γεγενημένον.* Similiter se habent loci, qui sequuntur: Hisp. 37: *ἀνὴρ ἐς πάντα βέβαιος.* Pun. 106: *ἀνὴρ ἐς πάντα ἐπιτυχής.* Civil. II, 13: *δυνατώτατοι δὲ ἐς ἅπαντα.* 149: *ἀνὴρ ἐπιτυχέστατος ἐς πάντα.* III, 19: *εὐτυχέστον ἐς τὰ πλεῖστα.* — Mithr. 118: *δυνατοῦ σφίσιν ἐς ἅπαντα ὀφθέντος.* Civil. III, 44: *καὶ ἐς τάδε αὐτῷ καὶ ἐς πάντα εὐπειθεῖς ὑπάρχειν.* IV, 15: *ἐς πάντα σφίσιν τῆς τύχης ἐπιβαρούσης.* idem 46, 68: *ἀπίστους ἐς ἅπαντα ποιεῖν.* V, 59: *ἐδόκει δ' ἀμφοτέροις ἐς πολλὰ συνοίσειν ὁ θάνατος.* 101: *ὡς ἐς πάντα οἱ συνοῖσον* etc.

2) Hic aptissime subiungamus verba, quae cum apud Atticos aut semper aut plerumque cum mero casu construantur, sequi videmus praepositiones velut

a) *ἐνδιδόναι ἐς, πρός τι:*

Reg. 5: *ἐς τὰς διαλλαγὰς ἐνεδίδουν.* ibid. 11: *ἐς πάντα*[1]) *ἔφασαν ἐνδώσειν.* idem: Samn. 10, 1. Mithr. 58. Civil. I, 20. 29. II, 135. 153. V, 71. — Num. 5: *ἐνδιδοὺς οὖν ἤδη πρὸς τὴν τοῦ Ἰογόρθα προδοσίαν ὁ Βόκχος.* Mithr. 54: *ἐνεδίδου πρὸς τὰς διαλύσεις.* idem: Civil. I, 26. II, 153. III, 90. V, 38.

b) *συμπράττειν, συνεργεῖν ἔς τι:* Num. 5: *ἵνα συμ-*

1) cf. quod paulo ante exposuimus.

πράξειεν ἐς τὰς διαλύσεις. Syr. 24: συμπράξειν ἐς κάθοδον αὐτῷ. idem: Civil. I, 21. 55. 57. II, 9. 125. IV, 17. V. 7. — Syr. 59: ἑκὼν ἐς τὸν θάνατον συνήργει. Civil. IV, 79: ἑτέρων ἐς τὸ αὐτὸ καὶ συνεργούντων. idem: V, 90.

c) κατακούειν (ὑπακούειν), πείθειν (πείθεσθαι) ἔς τι: Civil. IV, 70: ἢν μὴ ἐς πάντα κατακούητε. III, 63: πάντας ὑπακούειν ἐς ὅ τι προστάσσοι. idem: IV, 58. 59. 81 (bis). IV, 92. — I, 4: οὐ πείθων δ' ἐς οὐδέτερα. III, 5: Φαβέριον ἐς πάντα οἱ πειθόμενον. 63: πεισθῆναι ἐς ἅπαντα [1]).

d) πολεμεῖν, μάχεσθαι πρός τινα: Civil. V, 54: πολεμήσω σὺν σοὶ πρὸς αὐτόν. Similiter V, 142. — I, 58: οἱ δ' ἀμφὶ τὸν Μάριον πρός τε τοὺς ἐπελθόντας ἀκμῆτας ἀσθενῶς μαχόμενοι. idem: III, 78. IV, 59. Similiter: I, 108. 120. IV, 48.

e) Praeterea nonnulla alius generis verba comparentur: Civil. II, 1: τολμῆσαί τε ἐς πάντα. Ill. 13: ὑπισχνουμένων δὲ ἐς ἀμφότερα αὐτῶν. Syr. 56: καὶ ἐσήμαινεν μὲν ἐς τὴν τελευτὴν τοῦ βασιλέως. Similiter: Civil. 4. V, 80.

f) Exemplorum, ubi praepositionem περὶ usurpatum [2]) reperimus, haec afferamus: Hann. 51: πρὶν αἰσθέσθαι πολλοὺς περὶ τοῦ θανάτου. Syr. 22: περὶ τῆσδε τῆς ναυμαχίας πυθόμενος. Sic semper fere πυθόμενος περί τινος, cf. Hisp. 48. Syr. 68. Civil. III, 39. V, 85. 87. 109. 122. — Civil. II, 116: περὶ τῆσδε τῆς ἐπιβουλῆς μαθών. Pun. 48: ἔπεμπε Λαίλιον ἐξαγγελοῦντα περὶ τῆς νίκης. Mithr. 67: ἐπιστέλλειν περὶ πάντων. Pun. 55: περί τινων ἀπειθοῦντας. Num. 5: πείθεσθαι περὶ ἁπάντων. Pun. 69: ἐπιτρέπειν περὶ ἁπάντων. ibid. 94: περὶ δὲ ἀγορᾶς τῷ στρατῷ καὶ πάνυ ἐφρόντιζον. Civil. II, 1: ἐλπίσαι περὶ ἁπάντων. ibid. 5: εὐλαβέστερον ἐνθυμησόμενος περὶ ἑκάστου etc.

3) Iam porro animadvertas eum dicendi usum, quo Appianus pro simplicibus adverbiis plerumque ponit dictio-

1) cf. p. 15.
2) cf. Krebs. p. 17. 45.

nem praepositivam. Considerare iuvat locos, quales sunt Hisp. 72: *ὁ μὲν δὴ Οὐριάτθου πόλεμος ἐς τοῦτο ἐτελεύτα.* idem: Sicil. 2, 2. Mac. 9, 4. Civil. V, 38. 83. — Mithr. 66: *ὁ μὲν δὴ δεύτερος πόλεμος ἐς τοῦτο διελύετο.* Mar. 3: *ἐς μὲν δὴ τοῦτ' ἔληξεν ἡ πεῖρα.* Civil. I, 27: *ἡ στάσις ... ἐς τάδε ἔληγεν.*

Hisp. 79: *ὁ δὲ ἐς μὲν τὸ φανερὸν ἐκέλευεν ἑαυτοὺς Ῥωμαίοις ἐπιτρέπειν.* ibid. 88: *καὶ ἑτέροις ἐς τὸ φανερὸν τοὺς σιτολογοῦντας ἠνώχλουν.* idem: Hann. 1. Pun. 76. Mar. 11, 9. Ill. 25. Syr. 29. Civil. III, 98. Quibus similis est qui legitur locus Civil. I, 34: *ὅδε ἐς τὸ φανερώτατον ἠρέθιζε τοὺς Ἰταλιώτας.*

Hisp. 76: *καὶ τοσοίδε ὄντες ... ἐς μέγα ἠνώχλησαν τὰ Ῥωμαίων.* Pun, 28: *Μασσανάσσην ἐς τὰ μέγιστα βλάπτων.* ibid. 116: *κολάσαι μὲν ἐς ἔσχατον.* Pun. 43: *ἐς τὸ φοβερώτατον ἐσκευασμένοι.* idem: Civil. IV, 72. II, 8: *τὴν παρασκευὴν ἐς τὸ λαμπρότατον διεκόσμει.*

Pun. 122: *Ῥωμαίους δὲ τό τε στόμα ἄφνω γενόμενον ἐς τοσόνδε κατέπληξεν.* Ill. 3: *οἱ ἐς τοσοῦτον ἀλλήλους πολέμῳ διέφθειραν.* Civil. I, 94: *ἄνεμός τε πολὺς ἐμπεσὼν ἐς τοσοῦτον αὐτὴν ἐδαπάνησεν.* idem: II, 96. III, 51. 69. IV, 95[1]).

Eodem pertinet quod legimus Hann. 56: *ἐν τῷ τότε;* idem exstat Syr. 64. Mithr. 82. Civil. IV, 85. 86. 108. V, 14. 15, quam locutionum perraris locis me apud Atticos legere memini[2]). Saepius quam Appianus ita loqui solet Arrianus, cf. exp. Alex. I, 16. 17. 20. 21. 25. 29. II, 1. 7. 15. 18. 23. III, 2. 9. 11. 25. IV, 3. 5 (bis). 8 (bis). 9 (bis). 10. 14. 15. 26. V, 9. 10. 13. VI, 2. 9. 13. 21. VII, 4. 8. 9. 11. 13. 16. 17. 18 (bis). 24. 30.

4) Accedamus nunc ad locutiones in Appiani libris maximo opere frequentatas, in quibus praepositiones cum

---

1) cf. Arr. exp. Alex. I, 1: *ἐς ἀκριβές* = *ἀκριβῶς. ἐς τοσόνδε:* I, 8. IV, 28. VI, 15 etc.

2) cf. Thuc. IV, 12.

nominibus abstractis iungi solent. Quam rem ut illustremus, nonnullarum praepositionum (*σύν, μετά, ὑπό*) exempla commemorabimus ita, ut particulas *σὺν* et *μετά*, quae apud Appianum sine ullo sensus discrimine [1]) adhibeantur, inter se opponamus iisque locos per voculam *ὑπὸ* formatos adiciamns.

a) *σὺν ὀργῇ:* Hisp. 32. Hann. 24. Pun. 57. Mithr. 52. 79. Civil. I, 12. 78. II, 33. III, 26 (bis). 39. 49. 62. 89. *μετ᾽ ὀργῆς:* Hann. 17. Mithr. 58. Civil. I, 32. 114. V, 82.

σὺν καταφρονήσει: Hann. 50. Pun. 125. Syr. 22. Mithr. 93. Civil. I, 42, 113. 118. II, 81. IV, 35. 107. V, 36. 37. 101. *μετὰ καταφρονήσεως:* Hisp. 70. Mithr. 77. Civil. II, 95.

σὺν ἀπειλῇ: Syr. 35. Mithr. 49. Civil. I, 12. V, 128. *μετ᾽ ἀπειλῆς:* Gall. 17. Mithr. 85. Civil. II, 133.

σὺν βοῇ: Gall. 1. Syr. 40. Civil. III, 73. IV, 79. *μετὰ βοῆς:* Pun. 81. Mac. 18. Syr. 19. Mithr. 26. Civil. II, 11. 129. III, 69. IV, 122. 125.

σὺν θορύβῳ: Hisp. 12. 82. Hann. 48. Mithr. 85. Civil. I, 28. 114. 117. II, 93. *μετὰ θορύβου:* Pun. 22.

σὺν ἐπείξει: Pun. 121. Mthr. 41. 43. 89. Civil. I, 84. II, 55. 94. III, 25. 78. V, 82. *μετ᾽ ἐπείξεως:* Civil. IV, 107. V, 89.

σὺν ὁρμῇ: Hann. 37. Civil. II, 35. 54. IV, 111. V, 66. 67. *μετὰ ὁρμῆς:* Gall. 1. Civil. II, 104. V, 36.

σὺν φόβῳ: Civil. I, 25. 88. II, 28. III, 92. *μετὰ φόβου:* Hisp. 9. Civil. IV, 34.

σὺν δέει: Mithr. 89. Civil. I, 71. *μετὰ δέους:* Civil. I, 81. II, 23.

σὺν ὀλολυγῇ: Pun. 77. *μετ᾽ ὀλολυγῆς:* Pun. 92.

σὺν παῤῥησίᾳ: Pun. 132. Civil. III, 88. V, 16. *μετὰ παῤῥησίας:* Civil. III, 15. V, 42.

σὺν προθυμίᾳ: Mithr. 43. Civil. V, 33. *μετὰ προθυμίας:* Civil. III, 4.

---

1) Sed vide Mommsen I, p. 4. III, pag. 47. adn. 2. Krebs. p. 34 sq.

σὺν ἐκπλήξει: Civil. II, 36. *μετ' ἐκπλήξεως:* Pun. 21.

σὺν ἀταξίᾳ: Mithr. 81. *μετ' ἀταξίας:* Mithr. 44.

σὺν σιωπῇ: Mithr. 99. *μετὰ σιωπῆς:* Hann. 15. Mithr. 26. Civil. II, 75. IV, 109. V, 96.

σὺν οἰμωγῇ: Civil. I, 15. IV, 42. *μετ' οἰμωγῆς:* Pun. 49. Syr. 28. Civil. I. 121. II, 35. IV, 6.

σὺν τόλμῃ: Civil. I, 110. IV, 110. 112. *μετὰ τόλμης:* Mithr. 86. Civil. V, 132.

σὺν τέχνῃ: Civil. II, 28. V, 44. *μετὰ τέχνης:* Pun. 68. Civil. II, 108.

σὺν δρόμῳ: Pun. 103. Civil. I, 87. II, 146. *μετὰ δρόμου:* Mithr. 43. Apud Atticos usitatum *δρόμῳ;* Xenophon semper ita loquitur; cf. hist. Graec. II, 4, 6. III, 5, 19. IV, 3, 17. 4, 11. 8, 37. V, 3, 3. 4, 51 (bis). VI, 2, 34. VII, 1, 18. exp. Cyr. I, 8, 18, 19. IV, 6, 25. V, 2, 14. 7, 23. Thucydides IV, 112. VI, 69. 97. 100. 101. 127. 128 etc.

Similiter ratio cernitur in formula adverbiali saepe adhibita *σὺν χρόνῳ:* Hann. 39. Pun. 72. 81. Ill. 3. Syr. 5. Mithr. 1. 3. 102. Civil. II, 7. 34. V, 39 meri dativi loco *χρόνῳ* [1]).

σὺν τάχει: Gall. 1. *σὺν ὅρκῳ:* Ital. 8. *σὺν ζημιᾳ:* Hann. 26. *σὺν θάρσει:* Hann. 48. Civil. II, 149. *σὺν μετανοίᾳ:* Pun. 102. *σὺν τυχῃ:* Syr. 58. *σὺν ἐμπειρίᾳ:* Mithr. 25. *σὺν βίᾳ:* Civil. II, 117. *σύν γέλωτι:* II, 132. *σὺν ὀνείδει:* Mithr. 44. Civil. II, 62. *σὺν χάριτι;* III, 9. V, 24. *σὺν φθόνῳ:* I, 22. *σὺν ὄκνῳ:* I, 32. 61. *σὺν εὐφωνείᾳ:* I, 70. *σὺν ὕβρει:* II, 15. 33. 138. III, 85. IV, 64. V, 13. *σὺν ἀρᾷ:* II, 41. *σὺν θράσει:* III, 34. *σὺν γνώμῃ:* III, 35. 38. *σὺν πάθει:* III, 39. *σὺν ἀφορμῇ:* III, 64. *σὺν εὐθαρσείᾳ:* III, 91. *σὺν ὀλοφύρσεσι:* IV, 13. (sing. num.) V, 69. *σὺν ἀῤῥωστίᾳ:* IV, 82. *σὺν ἡδονῇ:* IV: 113: *σὺν ἐπιστάσει:* IV, 129. *σὺν ὑποψίᾳ:* V, 100. *σὺν κόσμῳ:*

---

1) cf. Dion. Hal. I, 4. 9. 30. 31. 56. 89. II, 8. 40. 42. 75. III, 49. 68. 73 etc.

V, 107. Praeterea conferas Hisp. 3. 76. Hann. 42. Civil. II, 117. — Hann. 24. Pun. 20. Syr. 68. Mithr. 37. 59. 61. 81. 100. Civil. IV, 76. — I, 15. II, 22. 34. 68. 118. 135. III, 51. 68. IV, 17. 43. 100. V, 33. 68. 106.

μετὰ σπουδῆς: Hisp. 28. 41. Hann. 14. 47. Pun. 45. 47. Syr. 29. Mithr. 18. 43. Civil. II, 112. 116. V, 33 (bis). 81. *μετὰ σιγῆς*: Pun. 117. Mithr. 26. Civil. II, 99. IV, 29. *μετ' ἀπονοίας*: Ill. 21. Civil. V, 37 (bis). *μετ' ἀργίας*: Mithr. 44. Civil. II, 66. V, 85. *μετ' ἐλπίδος*: Mithr. 75. Civil. II. 72. *μετὰ φρονήματος*: Civil. I, 109. IV, 128. *μετ' ἔχθρας*: III, 39. 41. *μετὰ τιμῆς*: III, 76. V, 134. *μετὰ ῥύμης*: Mithr. 18. 42. *μετὰ δόξης*: Hisp. 38. *μετ' ἀνατάσεως*: Mithr. 3. *μετὰ σοφίας*: Mithr. 14. *μετ' αἰδοῦς*: Civil. I, 4. *μεθ' ὁμονοίας*: I, 26. *μετ' ἀπογνώσεως*: II. 103. *μετ' εὐνοίας*: II, 151. *μετὰ δυσελπιστίας*: III, 66. *μετ' ἀλαλαγῆς*: IV, 79. *μετ' εὐφημίας*: IV, 104. *μετ' ἐξαπάτης*: V, 22. *μετ' ἀληθείας*: V, 42: *μετ' ἀδείας*: V, 54. Praeterea compares Hisp. 26. 27. 67. Civil. I, 114. II, 78. 143. IV, 98. 104. 123. V, 120.

b) Praepositionis *ὑπὸ* exempla quae collegi haec in promptu sunt: *ὑπ' ἀνάγκης*: Samn. 4. Hann. 58. Pun. 93. 102. 124. Ill. 13. Mithr. 50. Civil. I, 51. 59. II, 61. 67. 69. 132. 138. III, 3. 6. 44. 53. 70. 96. IV, 50. 68. V, 17. 45. 47. 135.

ὑπὸ δέους: Hisp. 67. Hann. 44. Mac. 11. Ill. 26. Syr. 58. 64. Mithr. 36. 99. Civil. I, 34. 93. II, 69. 142. 152. III, 61. IV, 30. 77. 102. 125. V, 129. 136.

ὑπὸ φόβου: Syr. 19. Mithr. 18. Civil. II, 88. III, 70.

ὑπ' ὀργῆς: Hisp. 12. Hann. 19. 28. Pun. 15. 26. 55. Syr. 22. Mithr. 38. 102. Civil. I, 91. II, 64. 147. V, 123. 125.

ὑπ' αἰδοῦς: Samn. 4. Syr. 59. Civil. II, 62. 152. III, 92. IV, 69. 125. V, 29.

ὑπ' ἐκπλήξεως: Pun. 90. Syr. 12. 22. Mithr. 81. Civil. III, 92, 115. 118. IV, 14.

ὑπὸ τόλμης: Gall. 11. Hann. 4. 7. 29. Pun. 124. Civil. II, 152. IV, 111.

ὑπὸ δειλίας: Hann. 12. 19. Civil. V, 50.

ὑπ' ἀνοίας: Hisp. 53. Pun. 81. Mithr. 99. Civil. II, 91.

ὑπ' ἀγνοίας: Hisp. 41. Civil. II, 119. III, 98. IV, 15. 21. 23. V, 110. ὑπ' ἀγνωσίας: Hisp. 54.

ὑπ' ἀφροσύνης Mac. 18. Civil. IV, 123. V, 25.

ὑπ' εὐνοίας: Civil. V, 135. ὑπὸ φθόνου: Syr. 14. ὑφ' ἡδονῆς: Civil. I, 72. V, 115. ὑπὸ σπουδῆς: Pun. 129 (bis). Mac. 11. Civil. V, 16. ὑπὸ προθυμίας: Hann. 21. ὑπὸ ἔχθους: Mithr. 109. aliaque.

Huius generis tot exempla, quorum numerus aliis praepositionibus facile potest amplificari, apud nullum scriptorem Atticum unquam legi neminem potest effugere, qui exempli gratia Xenophontis hist. Graec. recognoscat, ubi haec solum inveniuntur: σὺν πολλῷ φόβῳ: IV, 5, 1. μετ' ὀργῆς: V, 3, 7. ὑπ' ἀνάγκης V, 2, 9. Plerumque, ut paucis explicemus, ibi pro his supra allatis dictionibus scriptus est aut solus dativus:

σιωπῇ: I, 6, 36. 37. VI, 3, 8. βίᾳ: III, 2, 31. IV, 1, 1. πολλῇ προθυμίᾳ: III, 5, 20. σπουδῇ: IV, 5, 8. VI, 4, 20. VII, 2. 22. πολλῇ σπουδῇ: V, 2, 42. τῇ ἀληθείᾳ: IV, 5, 14. δίκῃ: V, 2, 10. ὀργῇ: V, 3, 7. σιγῇ: VI, 4, 16[1]);

aut adverbium velut pro σὺν τάχει (σὺν ἐπείξει) = ταχέως: I, 1, 34. V, 1, 24. 3, 10. VI, 5, 24. vel ταχύ: II, 4, 34. IV, 1, 19. V, 3, 5. 4, 5. 6. vel τὴν ταχίστην: III, 2, 16. 3, 10. IV, 5, 8. VI, 5, 8. 18. 21. vel ὀξέως: VI, 2, 14, pro σὺν προθυμίᾳ (μετὰ —) = προθύμως: II, 4, 16. 36. III, 1, 1. 4, 15. 5, 9. IV, 8, 8. 9. V, 2, 37 (bis). 4, 63. VI, 4, 18. 5, 49 (bis). VII, 1, 43, pro σὺν καταφρονήσει (μετὰ —) = καταφρονητικῶς: IV, 1, 17. 8, 18. V, 3, 1. vel ὑπεροπτικῶς VII, 1, 18, pro σὺν ἡδονῇ = ἡδέως: V, 1, 24. 4, 4, pro σὺν θάρσει (θράσει, εὐθαρσείᾳ) = θρασέως: V, 3,

1) vide p. 12 sq.

4. 10. 4, 43. 54. VI, 2, 39; aut denique aliter sese habet orationis compositio [1]).

Haec omnia si coniungas exempla, quae per praepositiones *σὺν, μετὰ, ὑπὸ* et aliquod nomen abstractum effecta apud Appianum et in Xenophontis historia Graeca leguntur, Xenophontem semel, sexagies fere Appianum talem locutionem adhibere facile credideris.

5) Idem, quod quartum posuimus, cadit in dictiones ab Appiano valde adamatas, quae efficiuntur per verbum aliquod et nomen abstractum prapositione quadam adnexa. Ne longus sim, addere liceat exempla, quae exhibent praepotiones *ἐν* et *διά*.

a) *καθιστάναι τινά, τί ἔν τινι*: (*ἐν ἀπορίᾳ*) Mithr. 72. *ποιεῖν τινα ἔν τινι:* (*ἐν ἀπορίᾳ καὶ ὑποψίᾳ*) Civil. I, 35. *ποιεῖσθαί τινα ἔν τινι:* (*ἐν θαύματι*) Civil. II, 142. 146. V, 6 sequ. *ὅτι μή.* (*ἐν παραλόγῳ*) Civil. II, 146.

τίθεσθαί τινα, τι ἔν τινι: (*ἐν ὑπονοίᾳ*) Samn. 1, 2. Civil. III, 5, (*ἐν δόξῃ*) Hisp. 54. (*ἐν προβολῇ*) Hisp. 88. Syr. 30. Mithr. 80. (*ἐν τόλμῃ*) Syr. 10, (*ἐν ὑποψίαις*) Mithr. 64, (*ἐν ὄψει*) Civil. II, 72. (*ἐν λόγῳ*) II, 74. (*ἐν ἐλπίδι βεβαίῳ*) II, 125. (*ἐν ὕβρει*) III, 80 sequ. inf., (*ἐν ἀδεεῖ*) Hisp. 9, (*ἐν καλῷ*) Hisp. 69. Civil. I, 103 sequ. inf., (*ἐν μεγίστῳ*) II, 55 sequ. inf., (*ἐν ὁμοίῳ*) V, 124.

γίγνεσθαι ἔν τινι: (*ἐν χερσίν*) Hisp. 5. 40. 46. Hann. 7 Syr. 19. Civil. I, 47. II, 75. (*ἐν ἐλπίδι*) Civil. I, 21. (*ἐν ἐλπίσιν*) Hisp. 62. (*ἐν ἀπογνώσει*) Pun. 104. (*ἐν αἰδοῖ*) Ill. 20. (*ἐν κινδύνῳ*) Ill. 24. (*ἐν φιλίᾳ*) Mithr. 10. (*ἐν ἀπορίᾳ*) Mithr. 80. (*ἐν μνήμῃ*) Civil. I, 16. II, 36. (*ἐν ἀκριβεῖ μνήμῃ* (III, 15. (*ἐν χρείᾳ*) II, 19. III, 69. (*ἐν καιρῷ*) II, 71. (*ἐν παρασκευῇ*) II, 87. (*ἐν μετανοίᾳ*) II, 143. (*ἐν πείρᾳ*) II, 150. (*ἐν οἴκτῳ*) IV, 57. (*ἐν φόβῳ*) IV, 104. (*ἐν αἰδοῖ καὶ φόβῳ*) Pun. 108. (*ἐν ἐλπίδι καὶ θάρσει*) Civil. II, 97. (*ἐν ἀσφαλεῖ σωτηρίᾳ καὶ εὐδόξῳ βίῳ*) III, 34. (*ἐν βεβαίῳ*) Hisp. 30. (*ἐν ἀσφαλεῖ*) Hisp. 70. Syr. 29. (*ἐν.*

1) cf. Krebs. p. 5, 5: Vorliebe für praepositionale Fügung statt eines Nebensatzes, eines Particips, des blossen Infinitivs.

ἀδεεῖ) Civil. III, 4. (ἐν ἀμερίμνῳ) III, 32. IV, 14. (ἐν ἀμηχάνῳ) II, 43.

εἶναι ἔν τινι: (ἐν κινδύνοις) Hisp. 71, (ἐν κινδύνῳ) Civil. V, 111. (ἐν διχοστασίᾳ) Hisp. 101. (ἐν ἐξουσίᾳ) Pun. 52. 66. (ἐν πόνοις) Pun. 71. (ἐν καιρῷ) Pun. 83. (ἐν ἀσχολίᾳ) Ill. 8. (ἐν χρείᾳ) Ill. 17. Civil. III, 14. (ἐν παρασκευῇ) Syr. 22. (ἐν ὄψει) Syr. 63. (ἐν τιμῇ) Civil. II, 139. III, 79. (ἐν μνήμῃ) IV, 16. (ἐν αἰσίῳ) IV, 31. (ἐν λόγῳ) IV, 66. (ἐν ἐλπίσιν) IV, 133. (ἐν χερσίν) V, 135. (ἐν φροντίσι καὶ φόβοις) Hisp. 9. (ἐν ἀγῶνι καὶ πόνῳ) Hisp. 25. (ἐν αἰτίᾳ καὶ καταγνώσει) Civil. II, 134.

ἔχειν τινά ἔν τινι: (ἐν πόνοις) Hann. 54. (ἐν ὑποψίᾳ) Ill. 17. Mithr. 105. 108. (ἐν ἐλπίδι) Mithr. 57 sequ. inf. Civil. I, 11. (ἐν ὄψει) I, 81. (ἐν αἰτίαις) I, 85, 112. (ἐν θαύματι) III, 8 sequ. ὅπως. (ἐν ὀργῇ) III, 27, 40, 51. (ἐν πείρᾳ καὶ παραβολῇ) Mithr. 62. (ἐν ἐπαίνῳ καὶ θαύματι) V, 45.

ἄγειν τινά, τί ἔν τινι: (ἐν τιμῇ) Civil. I, 80. III, 5. (ἐν θαύματι) V, 54.

Huc adde frequentissimos locos, ubi adiectivum neutrius generis genetivum regens scriptum est: ἐν τῷδε (τούτῳ, τοσῷδε) παρασκευῆς, ἀπορίας etc. εἶναι, γίγνεσθαι etc., cf. Pun. 75. 94. 108. Syr. 16. Civil. I, 76. V, 104 aliaque permulta. Similia sunt exempla ἐν ἀποῤῥήτῳ (ἀποῤῥήτοις) λέγειν, γράφειν, ἐπιστέλλειν etc. cf. Hisp. 10. Pun. 4. 75. 76. Ill. 9. Syr. 59. Civil. III, 65. V, 57.

Quae dicendi consuetudo ut aliorum recentiorum exemplis affirmetur, propono haec:

Arr. exp. Alex. τίθεσθαι: (ἐν λόγῳ) I, 5, γίγνεσθαι: (ἐν χερσίν) I, 28. II, 10. IV, 26. (ἐν ἀπόρῳ) VI, 10. εἶναι: (ἐν παρασκευῇ) I, 1. II, 25. (ἐν προφυλακῇ) I, 6. (ἐν φυλακῇ (I, 21, 25. (ἐν αἰτίᾳ) I, 26. (ἐν ἀξιώσει) III, 26. (ἐν καιρῷ) IV, 15. (ἐν ὁρμῇ) IV, 17. (ἐν τιμῇ) IV, 21. 22. (ἐν σπουδῇ) V, 27. VI. 23., λαβεῖν: (ἐν νῷ) I, 23. ἄγειν: (ἐν τιμῇ) I, 17. III, 23., ἔχειν: (ἐν τιμῇ) I. 25. (ἐν φυλακῇ) II, 1. 15. III, 5, 25. IV, 16 (bis). 29. (ἐν νῷ) I, 1. II, 4. V, 23.

Herodian. *γίγνεσθαι:* (*ἐν ἀπογνώσει*) II, 13, 12. III, 4, 6. VII, 4, 6. 9, 4. 9. 12. 4. (*ἐν ἔθει*) V, 5, 6. (*ἐν τῷ ὀνόματι*) VII, 9, 2. *εἶναι:* (*ἐν εὐπορίᾳ*) II, 6, 6. (*ἐν ἐξουσίᾳ*) III, 2, 4. (*ἐν ἀφασίᾳ*) IV, 14, 1. VII, 10. 1. VIII, 6, 1. (*ἐν σπάνει*) VIII, 5. 3. Similia habes II, 11, 7. 12, 2. III, 1, 1. VI, 9, 1. VII, 8, 1. 9, 4. VIII, 5, 6. *ἔχειν*: (*ἐν καταφρονήσει*) II, 7, 2. (*ἐν φρουρᾷ*) III, 2, 3. (*ἐν αἰτίᾳ*) VI, 7, 3. *καθιστάναι*: (*ἐν σπάνει*) I, 12, 4. (*ἐν ἀφασίᾳ*) VIII, 4, 2. cf. I, 13, 2 etc.

Praecipue mihi Plutarchi libros perlustranti occurrebant tales locutiones, quo ex genere exempla etsi possum proferre innumerabilia, pauca tamen eaque maxime commemoranda indicabo:

ἐν αἰσθήσει γίγνεσθαι: Lucull. 11 = *αἰσθάνεσθαι; ἐν λόγοις γίγνεσθαι* (*εἶναι*)*:* Alx. 14. Timol. 20 = *διαλέγεσθαι; ἐν ἁμαρτήμασι γίγνεσθαι:* Timocr. 15 = *ἁμαρτάνειν; ἐν φωναῖς εἶναι:* Aem. Paul. 31. Demetr. 34 = *βοᾶν* vel tale quid; *ἐν δυνατῷ εἶναι:* de lib. ed. 14, 20 = *δυνατὸν εἶναι; ἐν φαύλῳ* = *φαῦλον*, *ἐν ἀτόπῳ* = *ἄτοπον εἶναι* etc., in quibus exemplis eadem, quae in posterioris aetatis lingua latina dicendi proprietas simplex adiectivum dictione praepositiva circumscribi perspicitur, cf. Tac. Agr. I: pronum magisque in aperto erat = apertum. ibid. 5: magis in ambiguo. ann. IV, 30: rempublicam in praecipiti, et alia.

b) Iam sequantur exempla Appianea praepositionis *διά*: *ἔχειν τινά*, (*δι᾽ αἰτίας*) Num. 11, Civil. III, 2, (*δι᾽ ὑποψίας*) Syr. 15. (*διὰ χειρός*) Mithr. 24. 48. Civil. I, 40. V, 27. 46. (*δι᾽ ὀργῆς*) II, 126.

ἄγειν τινά, τι: (*διὰ τιμῆς*) Civil. II, 20. III, 80.

ἰέναι (*ἔρχεσθαι*)*:* (*διὰ χειρός*) Hann. 18. (*διὰ μάχης*) Mithr. 96 (*δι᾽ ἔχθρας*) Civil. III, 80.

γίγνεσθαι: (*δι᾽ ὑπονοίας*) Syr. 15. (*διὰ μίσους*) Civil. I, 112.

εἶναι: (*διὰ μίσους*) Pun. 30. Mithr. 4. (*διὰ στόματος*) Pun. 101. 134. Civil. II, 7. IV, 104. (*δι᾽ ὑπονοίας*) Civil. III,

7. (δι' ἀπραξίας) IV, 82. (δι' εὐνοίας) V, 31 (διὰ χειρός) V, 91 [1]).

Frequentissima huius modi exempla sunt apud Dionysium Hal.; cf. I, 24: δι' ὑποψίας λαμβάνειν, idem I, 81, διὰ χειρὸς ἔχειν: I, 51. 80. δι' αἰτίας ἔχειν: I, 56. II, 36. III, 11. 22. δι' ὑποψίας ἔχειν: I, 85. III, 9. δι' αἰσχύνης ἔχειν: I, 86. δι' ὀργῆς ἔχειν: I, 87. III, 71. διὰ φυλακῆς ἔχειν: III, 37. 56. IV, 71. δι' ὀργῆς φέρειν: III, 65. δι' αἰσχύνης εἶναι: II, 28. δι' ὑποψίας γίγνεσθαι: III, 9 multaque alia, quae omnia enumerare nihil refert.

Hic quaerat quispiam, quo modo ceteri scriptores Attici locuti sint. Illi vero pro his amplioribus Appiani aliorumque posteriorum dictionibus plerumque ponebant simplex verbum velut pro ἐν θαύματι ποιεῖσθαι vel ἔχειν vel ἄγειν, θαυμάζειν, pro ἐν ἐλπίδι γίγνεσθαι vel ἔχειν = ἐλπίζειν, pro ἐν μνήμῃ εἶναι = μεμνῆσθαι etc. aut aliis simplicioribus sermonis locutionibus utebantur; huc maxime spectant loci, quibus verbum ἔχειν persaepe coniungitur cum adverbio quodam, cf. ἀθύμως ἔχειν: Xenoph. hist. Graec. I, 5, 8. 20 IV, 5, 4. χαλεπῶς ἔχειν: I, 5, 16. ἀπόρως ἔχειν, ὑπόπτως ἔχειν etc. aut cum substantivo, ἡσυχίαν ἔχειν, ἄγειν, εἰρήνην ἔχειν et talia. Quamquam negari nequit eos interdum, sed perraro tales locutiones admisisse. Ut rem exemplis explanem, eiusdem Xenophontis qui in historia Graeca inveniuntur loci examinentur cf. ἐν τῷ ἀσφαλεῖ καταστῆναι. II, 3, 28. ἐν οὐδενὶ λόγῳ ποιεῖσθαι: VII, 1, 26. ἐν καιρῷ γίγνεσθαι: IV, 3, 2. VII, 4, 8. ἐν ἐλπίδι: V, 4, 43. ἐν ἀνάγκῃ: VI, 4, 23. ἐν ἀπορίᾳ εἶναι: II, 4, 29. VI, 2, 8., ἐν καιρῷ: III, 4, 9. ἐν καλῷ: IV, 3, 5. ἐν κινδύνῳ: IV, 2, 1. VII, 4, 10. ἐν φυλακῇ: V, 4, 21. ἐν ἐλπίδι: VII, 2, 10. ἐν ἀσφαλεῖ: VII, 4, 21. Unde concluditur, si librorum ambitum spectaveris, rationem, quae inter Appianum et Xenophontem intercedat, esse 5 : 1. Consideratis vero his omnibus, quae ut rem exemplis confir-

1) cf. Kuehn. 434, 3 c.

marem modo adnotavi, sat clare cernitur, quantum recentiores Graeci scriptores, cum dictionibus per praepositiones formatis valde delectentur, ab Atticorum sinceritate sermonis ac simplicitate sint alieni [1]).

Ad hunc praepositionum Appianearum frequentissimum usum explicandum etsi etiam plures causas enumerare habeo, tamen quod Krebsius iam proposuit [2]), quas fortasse denotari iuvat, in iis, quas laudavi, acquiescam.

Aliud autem ex illa, quam supra proposuimus tabula intellegitur, de quo nonnulla verba facere mihi liceat. Omnium enim praepositionum, si componi eas lubet, nulla sic ab Appiano adoptata et adamata est, ut frequentius quam quater milies octingenties nonagies in Appiani libris posita exstet. Eadem vocula, quam omnino posteriore linguae Graecae aetate praevalere videmus [3]), apud Arrianum quoque primum locum obtinet; apud Polybium [4]), Diodorum, Lucianum [5]) *κατὰ* usitatissimum est, apud Josephum *πρός* [6]). At alios Atticos scriptores praepositionibus delectari Krebsius adnotavit [7]), qui oratores Atticos praeferre *ἐν* vel *ἐκ*, Isocratem solum *περὶ* Lutzio auctore testatur.

Iam vero ex iis, quae modo explicavimus, Mommseni illud [8]) trium casuum e praepositionibus suspensorum primas partes agere accusativum verum esse facile deprehendas. Nam hi tres casus cum inter se comparantur, positos esse videmus apud Appianum

genetivos 5238

1) cf. Krebs. p. 5 adn. 6.

2) eiusd. p. 5.

3) cf. Momms. I, p. 25.

4) cf. Krebs. p. 4.

5) cf. C. Przybilla, de praepositionum *κατὰ* et *ἀνὰ* usu Lucianeo, p. 8.

6) cf. Krebs. p. 4.

7) ibid.

8) cf. I, p. 27: Aus allen diesen Erscheinungen geht klar hervor, wohin die Sprache will, zur Herrschaft des Accusativs.

dativos	3532
accusativos	8902

quod si ad arithmeticae artis leges exprimere volumus, ratio horum casuum efficitur 3 : 2 : 5.

II.

Quoniam igitur de praepositionum frequentia diximus, nunc earum significationes, id enim erat alterum, de quo disserere nobis propositum est, si placet, explicemus. Qua in re non omnes omnium praepositionum notiones, quae sunt communes Appiano cum ceteris scriptoribus Atticis, exponendas esse putavi, sed solum habendam rationem eorum, quae a consuetudine Atticorum aut prorsus discreparent aut etiam si exemplis apud illos non plane carerent, tamen ad Appiani elocutionem propius accedere mihi viderentur.

ΠΡΟ.

Usus huius praepositionis locali vi artis finibus circumclusus est; tricies fere occurrit nihilque nobis praebet, quod ab Atticorum communi ratione dicendi differre videatur. Singulariter positum esse reperimus Civil. I, 92: *καὶ πρὸ σταδίων ἑκατὸν ἐστρατοπέδευον ἀμφὶ τὴν Ἀλβανῶν γῆν* = *ἑκατὸν σταδίου ἀπέχοντες (διέχοντες) ἐστρατοπέδευον*, de quo usu infra, cum praepositionis *ἀπὸ* notiones illustrabo, paulo fusius me disputaturum esse moneo.

Latius autem patet temporalis notio, cum saepe repetantur formulae quaedam adverbiales [1]) velut *πρὸ πολλοῦ:* Samn. 9 (bis). Pun. 27. 38. 57. 69. 73. 112. Mac. 11. Civil. I, 65. 69. 147. V, 133 etc., *πρὸ βραχέος:* Mac. 18. Civil. II, 153. III, 60, *πρὸ ὀλίγου:* Civil. II, 116. 118. III, 46.

Afferantur porro nonnulla, quae ab Atticorum sermone recedere mihi videntur. Legimus Mac. 19: *συνέβη τὸν μὲν*

---

1) cf. Krebs. p. 5, adn. 4.

πρὸ τριῶν ἡμερῶν τοῦ θριάμβου ... ἀποθανεῖν, quod vertimus: factum est, ut triduo ante triumphum moreretur. Alia similis usus exempla Appianea legas Civil. II, 111: *ἐξιέναι δ' αὐτὸν μέλλοντα πρὸ τετάρτης ἡμέρας οἱ ἐχθροὶ κατέκανον* (quatriduo ante). ibid. 115: *ὁ δὲ Καῖσαρ πρὸ μιᾶς τοῦδε τοῦ βουλευτηρίου χωρῶν ἐπὶ δεῖπνον* (pridie). IV, 101: *μέχρι πρὸ μιᾶς τῆς μάχης ἡμέρας ἀπέστησαν.* Unde satis perspicitur Appianum imitatum esse Latinam loquendi consuetudinem, quod imitandi studium, cum in aliis quoque praepositionibus huius generis exempla reperiantur, semper me demonstraturum esse promitto [1]).

Translate denique dictum est his locis: Hisp. 72: *φιλοκινδυνότατος δ' ἐς ἅπαντα πρὸ ἁπάντων (γενόμενος).* Civil. III, 32: *καὶ πρὸ ἡμῶν αὐτοῦ σοῦ τῶν συμφερόντων οὕνεκα.* Eodem quoque est referendum, quod exstat Hisp. 41: *τὸ σφέτερον ἀσφαλὲς ἕκαστοι προὔργου τιθέμενοι.*

ΑΠΟ.

In hac quoque praepositione, ut initium faciamus a locali significatione, inveniuntur, quae non modo, quantum ab Atticorum sermone abhorreant recentiores scriptores, sed etiam quantopere illi ad Latinorum usum dicendi se accommodaverint, dilucide nobis ostendunt. Nam persaepe ad denotandum spatium aliquod vel intervallum, quod distant homines vel res a loco quodam, Appianus utitur praepositione *ἀπὸ* praefixa iis verbis, quibus spatii modus significatur. Quod ut exemplis illustrem, affero Hisp. 46: *παρεστρατοπέδευσεν ἀπὸ σταδίων τεσσάρων καὶ εἴκοσιν = σταδίους τέσσαρας καὶ εἴκοσιν ἀπέχων (διέχων, ἀπών).* Pun. 14: *ἔς τι χωρίον ἀπὸ τριάκοντα σταδίων Ἰτύκης ἐνεδρεῦσαι.* Civil. III, 12: *ὄντι αὐτῷ περὶ Ταῤῥακίνας ἀπὸ τετρακοσίων που Ῥώμης σταδίων.* IV, 107: *τήν τε ἀγορὰν οἱ μὲν ἀπ' ὀλίγων σταδίων ἐπήγοντο, οἱ δὲ ἀπὸ πεντήκοντα καὶ τριακοσίων.*

1) cf. Plut. Sull. 37. Luc. 27. Caes. 63. Brut. 47. Popl. 9. moral p. 203. 319 etc.

Alia exempla sunt Hann. 38. Pun. 102. Civil. I, 23. 50. II, 56. 91. III, 41. IV, 106.

Hoc, quod inferioris demum aetatis proprium esse iam Kuehnerus [1]) adnotavit, posteriores Graecos scriptores a Latine loquendi usu sumpsisse quis negaverit, si comparetur Caesaris locus bell. Gall. II, 7: hostes ab milibus passuum minus duobus castra posuerunt? Aliorum scriptorum exempla apud Krebsium [2]) quaeras. In Polybii libris unum legitur X, 12, 6. cf. Diod. I, 97, 2. II, 7, 2. Plut. Phil. 4. Oth. 11.

Sed hac in re non plane mihi cum Kuehnero faciendum esse existimo; is dicit: Sowie im Lateinischen, wenn der Ort, von dem aus der Abstand oder die Entfernung gemessen wird, nicht angegeben ist, sondern aus dem Zusammenhange ergänzt werden muss, oft zu dem Ablative der Massbestimmung die Praeposition ab (= in einer Entfernung von) tritt, so findet sich dieser Gebrauch der Praeposition *ἀπὸ* auch bei den spätern Griechen, offenbar eine Nachahmung des lateinischen Ausdrucks, quod parum distincte explicatum esse ex his supra a me allatis exemplis intellegitur [3]). In eandem vim accipiendum esse concedas, quod supra s. v. *πρὸ* exemplum proposuimus: Civil. I, 92: *καὶ πρὸ σταδίων ἑκατὸν ἐστρατοπέδευον* = *καὶ ἀπὸ σταδίων ἑκατὸν ἐστρατοπέδευον* [4]). Apud Plutarchum semel legitur hoc modo usurpata praepositio *ἐν* Caes. 19: *ἕως ἐν διακοσίοις τῶν πολεμίων σταδίοις κατεστρατοπέδευσαν.*

Temporali notione praeditum frequentissime nobis ob-

1) cf. gr. gr. 430, 1, 6.

2) cf. l. l. p. 58, 1, 6.

3) cf. Dion. Hal. I, 15: *ἀπὸ δὲ σταδίων ἑβδομήκοντα Ῥεᾶτον Κοτυλία πόλις ... κειμένη.* II, 53: *πόλιν ἀπὸ τεσσαράνεοντα σταδίων τῆς Ῥώμης κειμένην.* Strab. X, p. 448: *ταύτης δ' ἐστὶ κώμη ἡ Ἀμάρυνθος ἀφ' ἑπτὰ σταδίων τοῦτείχους.* Similiter I, 14. III, 32. et omnino passim apud recentiores hoc loquendi genus, ubi Attici merum accusativum praeferebant.

4) cf. Strab. VIII, p. 382: *πρὸ τριάκοντα σταδίων ἔκτισαν πόλιν.*

vium fit ἀπὸ in locutionibus ἀπὸ τοῦδε: Prooem. 6. Hisp. 15. 16. 61. Hann. 7. 35. Pun. 86. 87. 92. 101. Syr. 1. 9. 17. saepe etiam articulo τὸ adiecto, ut nominis loco positum videatur: Hann. 30: κάκιον οὖν ἔπραττεν ὁ Ἀννίβας τὸ ἀπὸ τοῦδε. Civil. I, 15; χεῖρες ἦσαν ἤδη τὸ ἀπὸ τοῦδε. ibid. 117: σὺν θορύβῳ τὸ ἀπὸ τοῦδε ὑπεχώρουν [1]); ἀπ' ἀρχῆς: Pun. 2. Mac. 9. Civil. II, 7. IV, 123. 136. V, 70, 85. 130. Quo sensu saepe videmus alternare ἀπὸ cum praepositione ἐκ: Hann. 129. Civil. I, 5. II, 5. V, 49 etc. Sed velim respicias ἐκ τοῦδε plerumque habere notionem causalem velut Pun. 6. 30. Mithr. 59. 109 etc., ut permultis locis non satis discernere possimus, utrum temporali vi instructa sit haec formula an causali.

De translatis notionibus sunt haec animadvertenda:

Materies, ex qua quid sit confectum, indicatur; qua significatione ἀπὸ ab Atticis, qui pro ἀπὸ hac notione consueverunt dicere ἐκ aut merum genetivum aut aliquod adiectivum, usurpatum nullo vel Thucydidis vel Xenophontis loco me invenire memini. Appiani exempla examinemus: Pun. 32: στέφανόν τε ἀπὸ χρυσοῦ ἔπεμπον (coronam auream) ibid. 66: περικείμενος καὶ ψέλλια καὶ στρεπτὰ ἀπὸ χρυσοῦ. Mithr. 66: κορυφὴν μείζονα ἄλλην ἀπὸ ξύλων ἐπιτιθεὶς. ibid. 75: (βοῦν) ἔπλαττον ἀπὸ σίτου. Civil. II, 86: εἰκόνας, ὅσας ἀπὸ χαλκοῦ ἀνέθηκαν. IV, 44: ἐν λάρνακι, ἃς ἀπὸ σιδήρου ἔχουσιν. Similem in modum Mithr. 83. 116. Civil. I, 106. II, 22. 102. IV, 101. Insolentius scriptum est Pun. 66: ἔστεπται μὲν ἀπὸ χρυσοῦ καὶ λίθων πολυτίμων = redimitus corona aurea et gemmis. Contra praepositionis ἐκ exempla habes Pun. 66: σκῆπτρον ἐξ ἐλέφαντος φέρει. ibid. 125. τεῖχος ἤγειρεν ἐκ πλίνθων. 124: στόλον ἐπήξαντο ἐξ ὕλης παλαιᾶς. Mithr. 30: τὰ τείχη εἴργαστο ἐκ λίθου μεγάλου. ibid. 31; πεσσοῖς ἐκ μολύβδου πεποιημένοις. Civil. II, 106: στέφανος ἐκ δρυός. ibid. 147: ἀνδρείκελον ἐκ κηροῦ πεποι-

1) cf. Arr. exp. Alex. VI, 18.

ημένον. Hi loci, qui etiam plures afferri possunt, aperte nobis declarant Appianum maluisse praepositivam verborum constructionem quam simplex adiectivum adhibere (aureus, ferreus, eburneus etc.). Conferri velim, quod supra exposuimus.

Ut materiem sic instrumentum saepe praepositio ἀπὸ significat, in qua tamen significatione facile ubique cognoscitur vis illa primaria loci, unde quid exit vel movetur. Hisp. 20: ἀκόντια ἀφιέντες οἱ μὲν ἀπὸ χειρῶν οἱ δὲ ἀπὸ μηχανῶν οἱ δὲ ἀπὸ σφενδόνης. Pun. 99: σκάφας εἷλκον ἀπὸ κάλων. Similiter Civil. IV, 115. Mithr. 78: ἐς Ἀμισὸν ἀπὸ κάλω διαπλέων = nave tracta remulco vehebatur[1]). ibid. 71: τὰ κλεῖθρα καθῆκαν ἐς αὐτὰς ἀπὸ μηχανῆς. Praeterea Mithr. 31. Civil. I, 93. IV, 115. V, 119.

Hac quoque significatione pro ἀπὸ eaque saepius posita est particula ἐκ, cf. Hann. 51: τὰς μὲν πύλας ἐκ μηχανήματος ἀνέσπασαν. ibid.: αὖθις ἐκ τοῦ μηχανήματος αὐτὰς ἐπικαθῆκαν. Ill. 11: κορύνας ἐκ καταπελτῶν ἐσφενδόνα. Syr. 64: ἐκ τοῦ κυνὸς μάλιστα ἀνευρόντα (τὸ σῶμα). ibid.: μεμαχημένων ἐκ χειρὸς οἰκείας. Mithr. 34: ἐκ καταπελτῶν ἔκτεινε πολλούς. Civil. II, 147: τὸ δὲ ἀνδρείκελον ἐκ μηχανῆς ἐπεστρέφετο πάντῃ. IV, 77: τοὺς μὲν ἐκ μηχανημάτων ἐς τὰ τείχη, τοὺς δὲ ἐκ ποδὸς ἐπῆγεν. Similiter Civil. V, 118.

ΕΚ.

Iam accedamus ad illustrandam significationem praepositionis ἐκ, quae aptissime subiungitur voculae ἀπὸ propterea, quod saepenumero eam illius munere fungi iam antea vidimus maximeque apparebit, qualis sit ratio his duabus vocibus apud Appianum utendi. Nam hoc discrimen

1) quo loco quamquam Appianus paulo inusitatius locutus est ἀπὸ κάλω = remulco tractus, non video, cur Reiskium secuti mutemus illud ἀπὸ κάλω in ἐπ' ἀκατίῳ, cf. App. ed. Mendelssohn p. 517, 12.

esse voluerunt scriptores Attici inter ἀπὸ et ἐκ, ut illa non tam definite et accurate quam in universum describat eam partem, unde motus fit, haec vero interiorem quasi quem rei locum denotet, ex quo provehitur motio vel effectus editur. Quod omnino fere paucis tantum locis omissis apud Appianum neglectum esse mihi videtur contemplanti omnes Appianeos locos, quibus nullo discrimine et propriae et translatae notionis intercedente modo ἀπὸ modo ἐκ praepositio ab Appiano usurpata invenitur. Ex eorum numero, qui sunt creberrimi, hos solum affero:

ξενολογεῖν ἀπό: Pun. 5. 54.
„ ἐκ: Sicil. 2. Syr. 39.
διαφεύγειν (κακοῦ etc.) ἀπὸ: Hisp. 57. Civil. II, 105.
„ „ ἐκ: Hisp. 61 (bis).
ὁ ἀπό τινος φόβος: Pun. 62.
ὁ ἔκ τινος φόβος: Civil. IV, 74.
ἀπ' ἀρχῆς: Pun. 2. Mac. 9. Civil. 7.
ἐξ ἀρχῆς: Sicil. 6. Pun. 95. Mithr. 54.
ἀπὸ συνθήματος: Civil. III, 30.
ἐκ συνθήματος: Civil. IV, 77.

Hoc etiam multo clarius patet ex his exemplis, ubi in eodem enuntiato ἀπὸ et ἐκ inter se excipiuntur, cf. Pun. 15: ἐξ Ἰβηρίας ἢ Σικελίας ἢ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας πεμφθέντες. ibid. 31: ἐπιπλευσομένων Ἀννίβα ἐξ Ἰταλίας καὶ Μάγωνος ἐκ Λιγύων καὶ Ἄννωνος ἀπὸ Καρχηδόνος. 71: τὴν θέαν ἰδεῖν τὸν Δία ἀπὸ τῆς Ἴδης καὶ τὸν Ποσειδῶνα ἐκ Σαμοθρᾴκης. Mithr. 68: πολιορκεῖν ἀπό τε δύσεως καὶ ἐξ ἀνατολῆς. Civil. I, 79: ἐπί τε Πάτρας ἀπὸ τοῦ Πειραιῶς καὶ ἐκ Πατρῶν ἐς Βρεντέσιον διέπλει. V, 86: αὐτοὺς οὐχ ἑώρων οὔτε ἀπὸ γῆς οὔτε ἐκ θαλάσσης. 89: ἔκ τε τοῦ πελάγους καὶ ἀπὸ τῆς γῆς. 119: (ἦν) βέλη τὰ μὲν ἐκ μηχανῆς τὰ δὲ ἀπὸ χειρῶν. Quam praepositionum mutationem scriptores Atticos vitavisse eorum libros pervolvens repperi, qui in eodem enuntiato

aut semel ponere aut repetere eandem praepositionem solebant[1]).

Restat igitur, ut ea, quae s. v. ἀπὸ non attigimus, quaeque in usu huius particulae apud Appianum ab Atticis discrepantia vel illius elocutionis propria inveniuntur, paucis absolvamus.

Quod attinet ad localem notionem, observandae sunt frequenter admissae quaedam locutiones adverbiales; ἐκ διαστήματος: Pun. 25. 98. 119. 125. Civil. II, 35. 125. 150. III, 26. IV, 21, V, 55. 57. At temporali vi Proem. 13. Civil. I, 2. ἐκ διαστημάτων: Hisp. 10. 35. Pun. 40. Ill. 5. Civil. II, 3. saepe adiectivo quodam adsperso: Hann. 20: ἐκ μεγάλων διαστημάτων. ibid. 41: ἐξ ὀλίγου διαστήματος. Pun. 123; ἐκ πολλοῦ διαστήματος: Civil. IV, 40: ἐκ βραχέος διαστήματος etc., ἐκ μετώπου: Hann. 23. Pun. 15. 126. Ill. 20. Mithr. 18. 24. saepiusque. Similes sunt loci Reg. 1: γῆν δίδωσιν ἐκ περιόδου σταδίων τετρακοσίων. Civil. I, 51: μετῆλθεν ἑτέραν ἐκ περιόδου. V, 138: ἐκ περιόδου λαθών. A locali denique vi defluxit dictio ἐκ χειρῶν μεθιέναι, cf. cf. Syr. 37. Civil. II, 12. V, 83.

Elocutiones temporali vi quae restant, satis erit quam brevissime proferre; ἐκ πολλοῦ, quod plus quam quinquagies apud Appianum legitur, cf. Ital. 8. Sivil. 3. Hisp. 2. 29. Syr. 2. 7. 12. 14. 15. 19. 23. 34 etc., semel locali notione: Civil. V, 119. ἐξ ἐκείνου: Hisp. 23. 45. 102. Pun. 69. 79. Ill. 5. ἐξ οὗ: Ill. 25. Mithr. 13. 22. 46. Civil. III, 9. 20. 65. 87. ἐκ βραχέος: Pun. 14. ἐκ μακροῦ: Pun. 72. ἐκ πάλαι (ἔκπαλαι) Mac. 9, quod apud Atticos non invenitur[2]). ἐξ (τῆς) ὁδοιπορίας: Gall. 1, 6. Hisp. 86. Pun. 103. Mithr. 81. 87. Similiter ἐξ ὁδοῦ: Civil. I, 91, multo saepius ἐξ ἐφόδου[3]):

1) quamquam huius mutationis vestigia singula alibi apud Atticos quoque inveniri apparet.

2) cf. Arr. exp. Alex. I, 9, 8.

3) cf. eiusd. I, 18, 20. 24. 27. II, 11. III, 29. IV, 2. 3 (bis). 23. 27. 28. VI, 7. 8. 16. Dion. Hal. I, 46. 57. 65. II, 38. 53. III, 25. 40.

Ill. 11. Syr. 37. Civil. IV, 10, 107, quam locutionem a Latino sermone = „ex itinere“ vel „primo impetu“ profectam esse elucet.

Iam vero transeamus ad translatam significationem. Ac primum quidem dicamus de quadam proprietate, qua recentioris aetatis scriptores ab Atticis plane differunt. Saepissime enim ad auctorem, qui vocatur, indicandum post verba aut passiva aut passivae notionis ponere solent posteriores praepositionem *ἐκ*, ut idem ea valeat quod apud Atticos *ὑπό*. Hoc sensu usurpatur *ἐκ* apud Atticos perraro idque praecipue e verbis dandi aptum [1]). Appiani exempla haec collegi:

a) post verba *εἶναι, γίγνεσθαι*: Pun. 102: *φόνος ἦν πολὺς ἐξ ἑκατέρων.* idem. Mithr. 37, Civil. II, 79: *βοὴ οὐδεμία ἐκ τοσῆσδε φάλαγγος ἦν.* V, 127: *τὰ ἐσόμενα ἐξ Ἀντωνίου;* Alia sunt Civil. III, 77. IV, 19. 58. — Ital. 8: *σημείων γενομένων ἐκ Διός.* idem: Hann. 56. Mithr. 59: *βοῆς ἐκ πάντων γενομένης.* Civil. II, 24: *σφαγή τις ἐκ τῶν στρατιωτῶν ἐγένετο.* III, 86: *ὑβρίσματα, ὅσα ἐκ τῆς βουλῆς ἐγεγένητο;* praeterea Civil. II, 45. 47. 145. III, 28. IV, 33 (bis). V, 6. 128.

b) post varia verborum genera:

Hisp. 84: *ἔκ τε πόλεων καὶ βασιλέων πεμφθέντες.* idem: Mithr. 7. 51. Civil. III, 3. V, 2. Mithr. 85: *ἀπηγόρευτο ἐκ Λευκούλλου.* idem: Civil. I, 27.

Syr. 53: *ἐξ Ἀντιπάτρου ἀπολελειμμένος.* idem: Mithr. 88.

Civil. V, 142: *τὸ ἐξ Ἀντωνίου τὸ πᾶν ἐπιτετραμμένον.*

Civil. II, 140: *τιμώμενος ἐκ τῆς πατρίδος.* V, 47: *τί παθόντες ἐξ ἡμῶν.* cf. Mithr. 48. Civil. I, 62. 74. III, 28.

Saepe praegnanter ponitur *ἐκ* velut Mithr. 79: *ἦρχε φυλακῆς ἐκ Μιθριδάτου* = auctore Mithridate. Civil. III, 70: *ἱππεῖς ἐξ Ἀντωνίου περιθέοντες,* similiter 83. IV, 110:

---

etc. Praeterea vide Commentt. in honorem E. Curtii, Gotting. 1868, p. 23.

1) cf. Krueg. 52 5, adn. 2.

τινὸς ἐκ τῶν ἡγεμόνων ἐπιτάγματος, cf. V, 70. 104 etc. Hunc dicendi usum ut affirmem exemplis ex aliis inferioris linguae scriptoribus petitis, primum omnium ponam Arrianum, quem tam frequenter paene uti *ἐκ* quam *ὑπὸ* cognovi [1]). Ab hoc, quem modo explicavimus, loquendi usu proxime absunt loci, quibus *ἐκ* significat causam vel rationem, qua quid efficitur, ut non multum differat ab *ὑπὸ* c. gen. aut *διὰ* c. acc. aut denique a dativo solo vel causae vel modi.

Quorum e numero, ut omittam quasdam formulas ab Atticis quoque adhibitas, quae sunt *ἐκ τῶνδε*: Sr. 13. Mithr. 28 etc. aut *ἐκ τούτων*: Civil. II, 125. IV, 53. 66. etc., hos tantum commemoremus, qui in Appiani libris saepe solent iterari:

ἐξ ἀπογνώσεως: (*μάχεσθαι*) Samn. 1, 3. Hisp. 33. 90. Pun. 60. simili sensu Pun. 19: *δεῖ μάχης ἐξ ἀπογνώσεως*. *ἐξ ἀπορίας*: (*λῃστεύειν*) Hisp. 72. 100. Pun. 5. 60. (*ἀποθνήσκειν*) Hisp. 82. (*ἐνδιδόναι*) Pun. 94. Civil. V, 142. (*κάμνειν*) Mithr. 99. (*ἡσυχάζειν*) II, 93. (*κινδυνεύειν*) V, 113. praeterea Pun. 136. Civil. II, 67. IV, 107.

ἐκ προδοσίας: (*αἱρεῖν*) Pun. 18. Civil. I, 41, 42. (*συλλαβεῖν, καταλαβεῖν*) Civil. V, 137. (*παθεῖν*) V, 26. *παραδιδόναι*) Ill. 7. (*ἐσελθεῖν*) Civil. I, 89. 94.

ἐκ βίας: (*ἄρχειν*) Syr. 41. Civil. II, 122. III, 90. cf. I, 36. V, 72.

ἐξ ἀνάγκης: Civil. II, 127. IV, 107.

ἀποθανεῖν, τελευτᾶν ἔκ τινος: (*ἐκ τοξευμάτων*) Pun. 34. (*ἐκ φαρμάκων*) Mithr. 111. (*ἐκ νόσου*) Civil. I, 48. (*ἐκ τοῦ τραύματος*) Civil. III, 75. (*ἐκ καμάτου* IV, 6. (*ἐξ ἀγνοίας*) II, 39.

ἐξ ἐνέδρας: (*παθεῖν τι*) Hann. 40. (*κινδυνεύειν*) Syr. 42; *ἐξ ἐλέου*: *περισώζειν*) Civil. II, 127. 134; *ἐκ καταφρονήσεως*.

---

1) cf. exp. Alex. I, 18. 23. II, 1. 14. III, 7, 30. IV, 2. 9. V. 12. 27. VI, 4. 27. VII, 3. 7 etc.

Syr. 26. Civil. II, 64; ἐξ ὀνόματος: (καλεῖν) Mithr. 59. Civil. II, 146. IV, 73. V, 90. pl. num.: Pun. 81.

Ex illis locis, ubi ἐκ respondere videmus Latinis praepositionibus „ex secundum", affero ἐξ ἐπιτάγματος: Ital. 5, 2. Civil. II, 138. III, 16. 90. IV, 123. ἐκ προστάγματος: Mithr. 83. Civil. III, 73. pl. nam.: IV, 35. ἐξ ἔθους: Hann. 20. Civil. III, 46 aliique.

Notemus denique exempla, ubi ἐκ adiectivis neutrius generis adiunctum abiit in adverbii vim: ἐξ ἴσου: Samn. 7, 2. Syr. 32. Mithr. 100. ἐξ ἀέλπτου) quod saepe apud Appianum exstat, cf. Hisp. 62. 75. Hann. 15. Pun. 37. 104. 116. Civil. II, 59. V, 74. 115. ἐκ παραδόξου: Civil. III, 78, IV, 59. ἐκ παραλόγου: IV, 36. 51. 116. 127. ἐξ ἀδοκήτου: Civil. V, 132. ἐξ ἅπαντος: II, 21.

ΕΙΣ(ΕΣ).

Omnium esse usitatissimam hanc praepositionem apud Appianum cum iam supra demonstraverimus eam paulo uberius explicemus. Ac de forma quidem mirum quantum fluctuant libri et editores et ubi nude ponitur ea praepositio et in verborum compositione. Constat utramque formam et εἰς et ἐς apud Graecos scriptores in usu fuisse; et videntur scriptores alii alio modo hac in re egisse. Etenim, ut exemplis utar, cum apud Thucydidem ἐς praevaleat, Plato εἰς praefert, si quidem Schneiderus et Poppo recte observaverunt; nec dum tamen certae regulae repertae sunt nec reperientur, quas secuti diiudicare certo possimus, ubi εἰς ubi ἐς in scriptorum libris recte sese habeat. Omnino — omitto autem, de quo disputare cum non sit huius loci, qua ratione usi sint poeticae orationis scriptores huius voculae adhibendae, cf. Ellendt, lex. Soph. s. v. εἰς — si quis antiqua Graecorum monumenta per omnia, quae floruit, linguae Graecae tempora recognoscet, apud Atticos aureae, quae vocatur, aetatis scriptores formam εἰς, apud recentiores plerumque

multo superare alteram formam ἐς apparebit. Quam ob rem in editione Appiani, cuius in libris plerumque forma ἐς legitur et εἰς per incuriam librariorum ac neglegentiam illata videtur, suo viros doctos iure ubique restituisse formam ἐς existimo, nisi forte Appianus ipse videtur quodam modo hanc usus mutationem spectasse.

Quae vero mihi videntur ab Atticorum sermone aut plane recedere aut Appiani valde propria esse, haec fere sunt.

I. Primum est animadvertendum praepositionem ἐς apud Appianum et proprie et translate post varia verba movendi hominibus plerumque in singulari numero positis apponi, ubi particulam πρὸς vel ἐπὶ vel παρὰ scriptores Attici adhibere solebant. Appiani exempla contemplemur:

A. Localem significationem his locis reperies:

a) post omnia verba eundi, veniendi.

α) *ἰέναι* (*ἔρχεσθαι*) eiusque composita Civil. II, 25: *φυγάδων ἐς τὸν Καίσαρα ἰόντων ἀθρόων.* ibid. 38: (*Δομίτιον*) *οὐ κωλύσας δ' ἐς Πομπήιον ἰόντα.* Similiter Syr. 42. Mithr. 61. Civil. I, 67. 90. II, 42. 43. 102. 116. III, 80. IV, 51. 82. V, 2. 7. 33. 50. 112.

β) *ἥκειν* (*ἐπανήκειν*): Samn. 10, 3: *ἐπανήκειν ἐς αὐτόν.* Hann. 28: *ὀρκήσαντος ἐς αὐτὸν ἐπανήξειν.*

γ) *χωρεῖν, ἀναχωρεῖν:* Hann. 53: *οἱ δ' ἐς Ἀννίβαν ἐχώρουν.* Syr. 54: *τὸ μειράκιον ἐς τὸν πατέρα ἐχώρει.* Similiter Civil. I, 64. 112. 121. III, 3. 43. 115. III, 14. 95. 97. IV, 30. V, 2. 25 (bis). 27. 29. 35. 138. 141. 142.

δ) *θεῖν, τρέχειν* eorumque composita: Civil. III, 92: *θεόντων ἐς αὐτὸν τῶν ἐπιφανῶν.* IV, 83: *ὡς ἐς οἰκεῖον ἡγεμόνα συνέτρεχον.* Simil. Pun. 91. Mithr. 5. Civil. I, 31. III, 11. IV, 109. V, 21. 143.

ε) *ἀφικνεῖσθαι:* Pun. 71: *ἐς τὸν Μασσανάσσην ἀφικνεῖτο.* Civil. I, 80: *ἀφίκετο δὲ καὶ Κέθηγος ἐς τὸν Σύλλαν.* Similiter Civil. III, 12. cf. Hisp. 40. Mithr. 79. Civil. II, 95. IV, 48.

ζ) *αὐτομολεῖν:* Mithr. 79: *ἐς δὲ Λεύκουλλον ηὐτομόλησεν.* Civil. III, 56: *αὐτομολήσαντα οὐ πρὸς ὑμᾶς ἀλλ' ἐς Καίσαρα.* Similiter I, 69. 89. cf. Mithr. 79: *αὐτόμολος ὢν ἐς Λεύκουλλον.* ibid.: *βουλεύειν ἐς Λεύκουλλον αὐτομολίαν.*

η) *φεύγειν* eiusque composita: Pun. 20: *ἵνα ... ἐς φιλίους καταφεύγοιμεν.* Mithr. 46: *Χίοις τοῖς ἐς Σύλλαν φυγοῦσιν.* Similiter Pun. 55. Syr. 49. Mithr. 10. 46. 64. 82. 90. 104. Civil. I, 53. 54. 62. 77. 79. 91. IV, 18, 36. 38. 71. 85. V, 10. 30. 52. 53. 102. 122. 133. cf. IV, 18: *τὴν φυγὴν ἐς τὸν πελάτην ὑποτοπήσας:* ibid. 36: *αἱ μὲν οὖν φυγαὶ ἦσαν ἐς Κάσσιον ἢ Βροῦτον ἢ ἐς Λιβύην ἐπὶ Κορνιφίκιον.*

ϑ) *ἀπαντᾶν:* Civil. III, 13: *αὐτὸς ἀπαντήσειν ἐς τὸν Ἀντώνιον εἰπὼν οἷα νεώτερος ἐς πρεσβύτερον καὶ ἰδιώτης ἐς ὕπατον.* IV, 50: *ἀπαντήσειν ἐς Καίσαρα.*

ι) *πλεῖν* eiusque composita: Civil. II, 40: *διέπλευσεν ἐς Πομπήιον.* IV, 37: *ἐξέπλευσεν ἐς Βροῦτον.* Similiter II, 46. IV, 43. 46. 48.

b) post varia verba transitiva:

α) *πέμπειν* eiusque composita: Sicil. 6: *οἱ Κρῆτες ἐς Πομπήιον Μάγνον πέμψαντες.* Hisp. 16: *ἐς τὸν ἀδελφὸν ἐπὶ σῖτον ἔπεμπε στρατιώτας.* Simil. Hisp. 61. 95. Pun. 37. 93. 105. 111. 112. 114. Mac. 4, 2. 17. Syr. 29. Mithr. 12. 28. 68. 78. 87. 98. 102. 107. 111 (bis). 112. Civil. I, 69. 70. 85 (bis) 94. 96. II, 4, 36. III, 80. 82. 85. 98. IV, 29. 61. 97. 135. V, 21. 32. 92. 93. 141. cf. III, 83: *διαπομπαὶ δ' ἦσαν ἐς ἀλλήλους.*

β) *στέλλειν* eiusque composita: Syr. 2: *πρέσβεις ἐς τὸν Ἀντίοχον ἔστελλον.* ibid. 23: *ἐπέστελλον δὲ καὶ ἐς Προυσίαν.* Simil. Civil. III, 62. 73. IV, 20. 45. V, 112. 137. 141.

γ) *ἄγειν, φέρειν, κομίζειν* etc.: Pun. 30: *ὁ δὲ αὐτὸν ἐς τὸν Σκιπίωνα ἤγαγεν.* Civil. I, 71: *τὴν κεφαλὴν ἐκτεμὼν ἐκόμισεν ἐς Κίνναν.* II, 45: *ἡ κεφαλὴ ἐς Ἰόβαν ἐφέρετο.* Simil. Mithr. 5. 19. 79. 108. Civil. II, 125. III, 28.

98. IV, 7. 63. V, 112. 139. Praeterea Civil. I, 88: *σεσωσμένων (σπειρῶν) ἐς Μέτελλον.* 115: *αὐτὸν εἷλκον ἐς τὸν Πομπήιον.* IV, 36: *πάντας ἐς αὐτὸν ἐκάλουν.* 48: *διέσωσεν ἐς Πομπήιον.*

c) post *πρεσβεύειν (πρεσβεύεσθαι)*: Gall. 22: *πρεσβεύειν ἐς Καίσαρα.* Hisp. 41: *πρεσβευόντων δ' ἐς αὐτὸν ἁπάντων.* Simil. Hisp. 79. Mithr. 16. 47. 53. Civil. II, 123. IV, 47. 54. 82. V, 23. — Gall. 18: *αὐτοῖς πρεσβευομένοις ἐς αὐτόν.* Sicil. 1: *Καρχηδόνιοι δ' ἐς Πτολεμαῖον ἐπρεσβεύοντο.* Similiter Hisp. 59. Pun. 31. Syr. 2. Civil. II, 89.

B. Translata notio inest his exemplis: Hisp. 83: *ὁ δὲ τὴν αἰτίαν αὐτῶν ἐς Πομπήιον ἀνέφερεν.* Pun. 115: *πάντα ἐς τὸν στρατηγὸν ἀναφερόμενα.* Syr. 41: *τὴν αἰτίαν ἐς τὸν Ἐπαμεινώνδαν ἀναφέροντες.*

Pun. 74: *ἐς ἐκείνους τὴν αἰτίαν τοῦ πολέμου περιφέροντες.* Mithr. 47: *ὃ ἐγὼ περιέφερον ἑκὼν ἐς μόνους τοὺς κυβερνήτας.* Civil. I, 54: *τὴν ἐκ τοῦ νόμου καὶ ἔθους ἀπορίαν ἐς τοὺς δικαστὰς περιφέρων.* III, 9: *τήνδε τὴν τιμὴν ἐς τοὺς φίλους ὁ Καῖσαρ περιφέρων.* IV, 91: *ἡγεμονίας ἐθνῶν ἀπὸ τῆς βουλῆς ἐς ἑαυτὸν περιφέροντα.*

Mithr. 121: *ἣν (ἱερωσύνην) ἐς Λυκομήδην μετήνεγκεν ἀπὸ Ἀρχελάου.* idem: Civil. V, 131. I, 22: *τὰ δικαστήρια ἐς τοὺς ἱππέας ἀπὸ τῶν βουλευτῶν μετέφερεν.* III, 36: *ὁ στρατὸς ἐς Δολλοβέλλαν μετενήνεκτο.* ibid. 86: *μεταφερομένους ἔς τε πολέμιον τῆς μοίρας στρατηγόν.* Hann. 31: *μεταβαλεῖν αὖθις ἐς Ῥωμαίους τὴν πόλιν.* Syr. 14: *τὸ γὰρ ἔθνος ἔς τε σὲ νῦν καὶ ἐς Ῥωμαίους μεταβαλεῖται.* Mithr. 66: *πολλοὺς ἐς τὸν Μιθριδάτην μετέβαλεν.* Civil. III, 79: *ἐς αὐτὸν μετεβάλοντο.*

Syr. 48: *Μεσοποταμίαν ἐς ἑαυτοὺς περιέσπασαν.* Mithr. 10: *τὴν Βιθυνῶν ἀρχὴν ὁ Σωκράτης ἐς αὐτὸν περιέσπασεν.* Civil. I, 29: *τὴν γῆν ὡς οὐκέτι Γαλατῶν ἐς Ῥωμαίους περιεσπάκει.* III, 16: *Συρίαν μὲν δὴ καὶ Μακεδονίαν περιεσπάσατε ἐς ἑαυτούς.*

Civil. IV, 62: *τὴν μὲν τοῦ Δολλοβέλλα στρατιὰν ἐς ἑαυτὸν μεθώρκου.* ibid. 116: *τοὺς μὲν ἄνδρας οἱ περὶ Μοῦρκον ἐς ἑαυτοὺς μεθώρκουν.*

Hann. 34: *οἱ Ταραντῖνοι τοὺς φοιτοῦντας αὐτῶν μετέπειθον ἐς Ἀννίβαν.* Civil. III, 5: *τὰ τοιάδε αἰτήματα ἐς τὸν Ἀντώνιον ἐξιὼν ἀνετίθετο.* Hisp. 34: *ἔπειθον αὐτοὺς ἐς τὸν Μάγωνα μεταθέσθαι.* Mithr. 82: *ἀθρόως ἐς τὸν Λεύκουλλον μετετίθεντο.* Similiter Hisp. 15. 17. 31. Hann. 22. 49. Ill. 7. Civil. I, 87. 92. III. 45 (bis). 93. V, 31.

Syr. 60: *περιϊούσῃ (βασιλείᾳ) μὲν ἐς τόνδε τὸν κάμνοντα βασιλέα.* Civil. II, 7: *δοκεῖ τισιν ἥδε ἡ εὐφημία … περιελθεῖν ἐς τῶν νῦν αὐτοκρατόρων τοὺς φαινομένους ἀξίους.* V, 2: *ἡ Ῥωμαίων ἀρχὴ πᾶσα περιῆλθεν ἐς δύο μόνον.*

Sed ne cui videar incerti quicquam aut falsi proposuisse, liceat mihi afferre exempla, quae fortasse huius usus in Xenophontis aut Thucydidis libris leguntur. Et locali quidem notione praeditum nec apud Xenophontem nec apud Thucydidem ullum exstare exemplum inveni, ubi vocula *ἐς* singulis hominibus praeposita est [1]); constat enim hanc praepositionem locali vi apud Atticos populorum solum nominibus vel collectivis (*βουλή, δῆμος, πλῆθος*) vel quamvis raro hominum pluralibus, quae funguntur illorum vicibus, adiungi [2]).

Translate autem ubi est posita haec praepositio, in omnibus Xenophontis libris, nisi quae fortasse oculos meos inter legendum effugerunt, non plus quam quindecim inveni exempla; et quae sit Thucydidea ratio, conferas I. Golisch. l. l. *P.* I, de *ἐς* praepositione, 1859.

II. Simili modo mihi videtur Appianus paulo ultra Atticorum consuetudinem dicendi processisse iis locis, quibus

---

1) de Thucyd. I. 137 vid. Popp. adn., ed. mai. p. 666, Sintenis ad Plutarch. Per. exc. 4, p. 309.

2) cf. Xenoph. exp. Cyr. V, 4, 2: *πέμπουσιν ἐς αὐτοὺς* scil. *ἐς τοὺς Μοσσυνοίκους* aliaque.

ἐς dicitur de actione quadam in hominem aliquem directa sive bono sive infenso animo instructa, cuius loco apud Atticos plerumque πρὸς vel ἐπὶ particulas poni infra tibi persuadebis. Exemplorum quae commemorentur dignissima solum adscribam:

A. Prooem. 12: *συμμαχίας ἐς ἄλλα ἔθνη γενομένας.* Sicil. 1: *τῷ δ' ἦν ἔς τε Ῥωμαίους καὶ Καρχηδονίους φιλία.* Hisp. 79: *ἔπρασσεν ἐς τοὺς Νομαντίνους κρύφα τοῦ πολέμου διαλύσεις.* Pun. 5: *εἰρηναῖα ἦν ἐς ἀλλήλους.* Mithr. 13: *ἐς δὲ τὸν Ἀρμένιον αὐτῷ καὶ ἐπιγαμία γέγονεν.* ibid. 51: *τῆς συγγενείας τῆς οὔσης ἐς Ῥωμαίους Ἰλιεῦσιν.* Civil. II, 42: *ἐπιμιξίαι τε ἐς ἀλλήλους ἐγίγνοντο συνεχεῖς.* ibid. 141: *εὔνοια γὰρ ἐς τυράννους γίγνεται δορυφόρων ἐκ τοῦ συναδικεῖν.* IV, 36: *λαμπροτάτην γὰρ δὴ σπουδὴν ἐς τοὺς ἀτυχοῦντας ... ἔδειξεν.* ibid.: *παίδων ἐς πατέρας εὔνοιαι καὶ θεραπόντων ἐς δεσπότας, (ὤφθησαν).* 38: *διαλλαγὰς Ἀντωνίῳ καὶ Καίσαρι ἐς ἀλλήλους ἐπόρθμευσεν.* 125: *ἦν παρακέλευσίς τε πάντων ἐς ἀλλήλους.*

B. Illorum, quibus infectus animus indicatur, locorum cum ingens numerus omnes proferre me vetet, hi potissimum denotentur:

Prooem. 13: *οἱ δὲ Λατῖνοι ἐγκλήματα ἐς Ῥωμαίους ἐποιοῦντο.* idem: Samn. 7, 1. Similiter Pun. 5: *ἐγκλήματα ἔχειν,* cf. Mithr. 106. Hisp. 9: *ῥαδίως ἐς εὐεργέτας πρὸς ἀχαριστίαν τρεπομένων.* Mac. 11, 8: *καὶ μὴ πολέμου κατάρχειν ἀδίκως ἐς φίλους.* idem: Syr. 39. Mithr. 34: *ἐπυργομάχουν ἐς ἀλλήλους.* Civil. I, 19: *μῖσος ἤρχατο ἐς τὸν Σκιπίωνα.* 114: *πάντας ὀργὴ καὶ μῖσος ἐς τὸν Περπένναν ἐσῄει.* II, 27: *καὶ αὐτὸς ἐς τὸν Πομπήιον ἕξειν τι τοῦτο. πρόσκρουμα.* III, 48: *διαστάντων τε ἐς ἀλλήλους.* 75: *ἐφήσθησαν ὡς ἐς ἀλλήλους συντριβησομένοις.* IV, 28: *ὡς δὲ αὐτὸν ἔμελλον καὶ βασανιεῖν ἐς τοὺς συνεγνωκότας.* 138: *οὐδὲ πόνων αὐτοῖς ἐς ἀλλήλους ἐδέησεν ὁμοίων.* V, 141: *συγκρούειν τοὺς στρατηγοὺς ἐς ἀλλήλους.*

Sic passim e variis verbis suspensa nobis occurrit vocula ἐς praecipue post verba εἶναι, γίγνεσθαι etc. aut substantivo abstracto aut adiectivo quodam adiuncto:

a) Civil. I, 73: *πολὺς δὲ καὶ ἄλλος ἦν τῶν στασιωτῶν φόνος ἐς ἀλλήλους ἀνεύθυνος.* V, 27: *πεῖραί τε τούτων τῶν ξεναγῶν ἦσαν ἐς ἀλλήλους.* — Mithr. 68: *τελευταῖόν τε γενόμενον ἐς Ῥωμαίους πόλεμον.* Civil. I, 12: *λοιδοριῶν δὲ τοῖς δημάρχοις ἐς ἀλλήλους γενομένων.* III, 1: *ὅσα ἄλλα Ῥωμαίοις ἐμφύλια ἐς ἀλλήλους ἐγίγνετο.* 28: *μῖσος ἤδη σαφὲς ἐκ πάντων ἐς τὸν Ἀντώνιον ἐγίγνετο.* 86: *τά τε ὑβρίσματα, ὅσα ἐς αὐτὸν ἐγεγένητο.* V, 6: *ἀνάγκην καὶ βίαν ἐς αὐτοὺς γενομένας ἐπιλέγοντες.* 19: *προσκρούματα ἐς τὸν Καίσαρα ἐγίγνετο καὶ διαφοραὶ μείζους.*

b) Mithr. 112: *φονικὸς δὲ καὶ ὠμὸς ἐς πάντας ἦν.* Civil. II, 27: *ὄντων γὰρ αὐτῶν ἐς ἀλλήλους ὑπόπτων.* IV, 123: *ἐπιεικῆ καὶ φιλόφρονα ἐς ἅπαντας εἶναι.* Similiter I, 9. V, 14: — Samn. 2: *τούτῳ πατὴρ ἐγεγένητο μικρολόγος καὶ ἀμελὴς ἐς αὐτόν.* ibid.: *ὅτι τοιόσδε ἐς τοιόνδε πατέρα ἐγεγένητο.* Civil. III, 31: *ἀχαρίστου δὲ ἐς τὸν Καίσαρα καὶ ὑβριστικῆς ἅμα ἐς αὐτὸν καὶ τὸν δῆμον τῆς προγραφῆς γενομένης.* Similiter: *ἄπιστον γίγνεσθαι:* Pun. 14. Mithr. 54. 62. Civil. I, 112. IV, 14. *ἀχάριστον γίγνεσθαι:* Civil. I, 74. *πρόθυμον γίγνεσθαι:* II, 151 etc.

c) *ἔχειν, διατίθεσθαι* cum adverbio aliquo coniuncta: Pun. 79: *ἀπλήστως δ' ἔχων καὶ ἀθεμίστως ἐς ἡμᾶς.* 91: *ὡς εἶχέ τις φιλίας ἢ γνώσεως ἐς αὐτόν.* Civil. IV, 133: *δαιμονίως αὐτὸν εὐνοίας καὶ σπουδῆς ἔχοντα ἐς ἐκεῖνον.* Similiter: *οἰκείως ἔχειν:* Mac. 11, 1. *ἀσφαλῶς ἔχειν:* Mac. 11, 5. *ἀχαρίστως ἔχειν:* Civil. III, 38. *ἀποδεξίως ἔχειν:* V, 9. — Civil. I, 1: *φιλονεικότερον ἐς ἀλλήλας αἱ ἀρχαὶ διετίθεντο.* ibid. 114: *χαλεπῶς ἐς τὸν Περπένναν διετίθεντο.*

d) *ἁμαρτάνειν, ὑβρίζειν:* Reg. 5: *μηδὲν ὑβριστικὸν ἐς αὐτὰς ἁμαρτεῖν.* idem: Ital. 5, 1. 2. Hisp. 4. 13. 51. Hann. 59. Pun. 53 (bis). 78. 83. 133. Mac. 4. 9. Syr. 9. 49. Civil. I, 70. II, 138. III, 13. 59. V, 10. 16. Similiter *ἐξαμαρτάνειν:*

Hisp. 80. Pun. 47. 50. — Samn. 4, 2: *μηδὲν ἐς σώματα ἀνδρῶν ἀτυχούντων ὑβρίσαι.* idem: Samn. 12. Hisp. 69, Hann. 44. Pun. 53. 58. 64. 85. Mithr. 61. Civil. III, 28. Similiter *ἐνυβρίζειν*: Hisp. 33. Pun. 62. Civil. II, 134. III, 26. *ἐξυβρίζειν*: Mithr. 23.

e) *παρασπονδεῖν, ἐπιβουλεύειν*: Hisp. 89: *ἐς οὓς παρεσπόνδησε Λεύκουλλος.* idem: Pun. 42, 59. — Mithr. 27: *ἐπιβουλεύειν ἐς τὸ σῶμα αὐτοῦ.* idem: Civil. II, 154. III, 39. 57. IV, 93.

f) *στασιάζειν, διερίζειν, διαφέρεσθαι*: Mithr. 70: *στασιαζόντων ἐς ἀλλήλους.* idem: 114. Civil. I, 1. — Civil. I, 107: *λόγοις βλασφήμοις ἐς ἀλλήλους διεφέροντο.* II, 19. — Civil. II, 69: *περὶ τῆς Καίσαρος ἀρχιερωσύνης ἐς ἀλλήλους ἤδη διήριζον.* idem: 112: IV, 47.

g) *χρῆσθαί τινι ἔς τινα*: Civil. I, 28: *ἔς τε τὸν Ἀπουλήιον παῤῥησίᾳ χρώμενος.* ibid. 82: *ἔχθρᾳ μὲν ἐς τὸν Σύλλαν χρώμενοι.* III, 32: *ἔχθει μὲν ἴσῳ καὶ ἐπιβουλῇ ἐς ἡμᾶς χρωμένους.*

Saepissime ita adhibetur praepositio *ἐς*

h) e verbis *ποιεῖν, πράττειν, δρᾶν, ἐργάζεσθαι* apta, ubi plerumque Attici mero casu utebantur [1]): Pun. 33: *τὰ δίκαια ποιεῖν ἐς τοὺς πιπράσκοντας.* — Hisp. 10: *πράσσειν ἐς Ζακανθαίους ὅ τι δοκιμάσειεν.* Similiter Mithr. 5. 13. 56. Civil. I, 77. III, 84. — Samn. 4, 4: *ὅσα … πολλάκις ἐς ἄλλους ἔδρασαν.* Similiter Samn. 9. Civil. I, 7, 82. — Gall. 18: *ὡς ἐναγὲς ἔργον ἐς διαπρεσβευσαμένους ἐργασάμενον.* cf. Pun. 64. Mithr. 23. Civil. I, 114. Similiter Civil. II, 6: *μηδὲν ἀνήκεστον ἐς ἄνδρας ἐπιφανεῖς ἢ πρὸ λόγου καὶ δίκης ἐξειργασμένος.*

Huc quoque pertinent plurimi loci, quibus particula *ἐς* ex abstracto solum suspensa usurpatur, cf. Hisp. 29: *τῆς ἐς αὐτὸν φιλίας.* idem: Mithr. 16. 104. — Civil. I, 5: *τῆς ἐς τὰ οἰκεῖα εὐνοίας.* idem: 12. 21. 46. V, 41. — Hann. 58:

---

1) cf. Krueg. 46, 7. Kuehn. 411, 5.

τῆς ἐς τοὺς ἄρχοντας ἀπιστίας. idem: Pun. 33. Mithr. 108. Civil. I, 74. Praeterea conferas Reg. 1. Samn. 2, 4, 4. 6. Gall. 11, 13. Pun. 57. 61. Mac. 7. 9. 6. 11, 8. Ill. 7. Syr. 37. 61. Mithr. 5. 13. 98. Civil. I, 5. 25. 57. II, 6. 17. 47. 90. 110. III, 13. 15. 23. 39. 57. 61. 64. 80. 81. 84. 86. V, 23. 73. 78. 142. 144.

Hanc locorum multitudinem, qui facile possunt augeri aliis Appianeis exemplis si quis cum Atticorum ratione comparaverit, negare non poterit hunc praepositionis ἐς usum Appiani esse proprium ab Atticorumque consuetudine dicendi alienum. Nam exempli causa apud Xenophontem vix viginti locis praepositionum ἐς ita adhibitam deprehendi. Thucydidis vero rationem apud J. Golisch [1]) cognoscas.

III. Latissime eum quoque patere videmus usum, quo dicitur ἐς de consilio vel effectu, quem dicendi usum apud Appianum satis frequentem propterea mihi silentio non praetereundum esse censeo, quod plerumque legitur pro enuntiato vel participio finali, quae locutiones in Appiani libris haud ita multae nobis occurrunt [2]). Licet proferre locos: Gall. 3: ἐπὶ τούτοις πρέσβεις ἐπιλεξάμενος ἐς κατάπληξιν. Hann. 5: τοὺς μὲν αἰχμαλώτους ἔσφαξεν ἐς κατάπληξιν τῆς ἄλλης Κελτικῆς. idem: Pun. 21. 101. 121. Civil. I, 71. 95. 114. II, 74. — Hann. 39: σὺν χρόνῳ δ' ἐπισύροντες ἢ διαφθείροντες ἢ ἐς τὴν Ἀλβανῶν σύγκρισιν Ἀλβησέας αὐτοὺς καλοῦσιν. Num. 5: ἐς μὲν ὑπόκρισιν ἐπ' ἄλλον στρατὸν περιέπεμπεν ἐς Αἰθίοπας τοὺς γείτονας. Mithr. 14: καὶ ἐς ὑπόκρισιν τῆς ἀντιλογίας ἠκροῶντο. Similiter: Civil. I, 74. 103. V, 125. — Pun. 122: τότε μὲν ἐς μόνην ἐπίδειξιν ἐπέπλευσαν. Syr. 25: τὸ μὲν ἥμισυ τῶν νεῶν ἐς ἐπίδειξιν ἔστησαν. Similiter: Civil. II, 75. III, 84, IV, 13. 71. V, 79. — Mithr. 42: καὶ προὔπεμπέ τινας ἱππέας ἐς κώλυσιν αὐτοῦ. Civil. I, 1: ἀρχὴν ἑαυτοῦ προστάτιν ἀπέφηνεν ἐς κώλυσιν

1) cf. l. l. P. I, 1859.
2) cf. Krebs. p. 5, 5.

μάλιστα τῶν ὑπάτων. Similiter: Civil. I, 33. III, 30. IV, 88. V, 125. — Mithr. 48: *καὶ ἐς πίστιν ὑπὸ κλίνῃ τινὶ παρεσκεύασεν ἀκοῦσαι τοῦ Μυννίωνος.* Civil. I, 38: *καὶ ὅμηρα διέπεμπον ἐς πίστιν ἀλλήλοις.* Similiter: Syr. 13. Civil. I, 44. II, 146. IV, 16. V, 70. Hisp. 101: *καὶ βουλὴν τῶν ἰδίων φίλων ἐς μίμημα τῆς συγκλήτου καταλέξας..* Pun. 66: *καὶ χορὸς κιθαριστῶν τε καὶ τιτυριστῶν ἐς μίμημα Τυῤῥηνικῆς πομπῆς περιεζωσμένοι.* Similiter: Mithr. 68. Civil. IV, 20. — Mac. 9, 6: *καὶ Δημήτριος ἐς ἀντιλογίαν ἐπρέσβευεν ὑπὲρ αὐτοῦ.* ibid. 11, 3: *Ἅρπαλόν τε πεμφθέντα παρὰ Περσέως ἐς ἀντιλογίαν Εὐμένους.* Similiter: Mithr. 4. 13. — Civil. I, 99: *τοσόνδε μέντοι προσέθεσαν ἐς εὐπρέπειαν τοῦ ῥήματος.* II, 31: *ἀπατῶν ἢ τεχνάζων καὶ τότε ἐς εὐπρέπειαν.* Similiter: II, 129. III, 22. 37. 42. 81. IV, 57. Praeterea conferas *ἐς φυλακήν*: Hann. 34. 60. Civil. 10. *ἐς ἐπικουρίαν:* Ill. 7. Syr. 27. 36. *ἐς βοήθειαν:* Civil. I, 38. III, 66. *ἐς ὕβριν:* Civil. I, 108. II, 2. 23. III, 21. 68. IV, 93. *ἐς χάριν*: Civil. II, 106. III, 5. 22. 30. 31. 81. 87. V, 14. 78. *ἐς κατηγορίαν*: Civil. I, 36. *ἐς ἐναντίωσιν:* Civil. II, 9. 122. III, 7 multaque alia.

IV. Iam vero haud pauca leguntur exempla, in quibus praepositio *ἐς* causalem fere vim induisse videtur. Spectandi sunt hi loci: Hisp. 39: *ἐνεωτέρισαν αὖθις ἐς τὴν ἀσχολίαν αὐτῶν οἱ Ἴβηρες.* ibid. 52: *καὶ Ῥωμαίους ἐς ἀπιστίαν λουδοροῦντες:* Similia habes Civil. I, 112: *οὐ γὰρ ἔφερον ἐς ἀπιστίαν ὀνειδιζόμενοι.* II, 104: *ὁ Πομπήιος ὠνείδισεν ἐς δειλίαν.* V, 54: *ὠνείδιζε δὲ ἐς ἀχαριστίαν.* 96: *ὀνειδιζόντων ἐς ἀπιστίαν.* 123: *ὀνειδιῶν τὸν Λέπιδον ἐς ἀχαριστίαν.* — Mac. 9, 1: *καὶ διαβαλλόντων αὐτὸν ἐς δωροδοκίαν.* Civil. II, 14: *διαβάλλοντος ἤδη τὴν συμφροσύνην τῶν τριῶν ἀνδρῶν ἐς μοναρχίαν.* 107: *τοῖς διαβάλλουσιν αὐτὸν ἐς τὴν ἐπιθυμίαν τῆς βασιλικῆς προσηγορίας.* 137: *τῶν ἐχθρῶν διαβαλλόντων ἡμᾶς ἐς ἐπιορκίαν καὶ ἐς αἰτίαν ἀπορίας εἰρήνης ἀσφαλοῦς.* V, 19: *τὸν Καίσαρα τῷ στρατῷ διέβαλλεν ἐς ἀπιστίαν πρὸς Ἀντώνιον.* 71: *τὸν Μηνόδωρον*

διαβαλλόντων ἐς φιλαρχίαν. — Mithr. 70: *κατηγόρησεν αὐτῶν ἐς πλεονεξίαν καὶ ἀμετρίαν.* Civil. II, 14: *ἕτεροι δὲ διὰ τὴν ἱερουργίαν ἐς ἀσέβειαν ἐδίωκον.* 67: *τῶν ἐπ' ἀξιώσεως αὐτὸν ἐπιτωθαζόντων ἐς φιλαρχίαν.* III, 39: *ἐπιβουλεύεσθαι ἐς τὴν παρὰ τῷ δήμῳ φιλίαν.* 48: *τῶν ἡγεμόνων ἐς ὑπεροψίαν αὐτὸν αἰτιωμένων.* V, 54: *ἐπῄνει μὲν ἐς φιλαδελφίαν.*

V. Notemus denique illam formulam temporalem *ἐς οὗ*, quae bis in Appiani libris exstat, cf. Hisp. 18: *ἐς οὗ Κορνήλιος Σκιπίων ἐς τὸ μέσον ἐλθὼν ἐσεμνολόγησεν.* ibid. 21: *ἐς οὗ Σκιπίων ὁ στρατηγὸς πάντῃ περιθέων ... εἶδεν.*

ΥΠΕΡ.

A. Cum genetivo.

Localis notio quattuor tantum locis invenitur, qua notione adhibitum *ὑπὲρ* saepius coniungitur cum accusativo, de quo vide infra. Genetivum igitur legimus Mithr. 80: *περιῆλθεν ὑπὲρ κεφαλῆς τοῦ Μιθριδάτου.* Civil. II, 111: *τὴν Κελτικὴν τὴν μὲν ὑπὲρ Ἄλπεων.* Exspectes hoc quoque loco accusativum, qui alibi semper in hac verborum coniunctione ab Appiano ponitur; sed cum omnium codicum auctoritate confirmetur genetivus, non est, cur hanc lectionem immutemus. Civil. II, 117: *ἐφεστὼς ὑπὲρ κεφαλῆς.* V, 81: *τὸν κόλπον τὸν ὑπὲρ Κίμης.*

Deinde, ut ad translatam significationem accedamus, exempla quoque libri praebent, ubi *ὑπὲρ* eodem sensu usurpatum esse reperimus quo *περί.* Haec res ut recte intellegatur, aliquos Appiani locos, quibus modo *περὶ* modo *ὑπὲρ* occurrit, proponamus. Itaque legimus *πρεσβεύειν (πρεσβεύεσθαι) ὑπέρ*: Gall. 15. Mac. 11, 5. Civil. V, 69, *περί;* Hisp. 31. Pun. 31. 61. Syr. 21. Civil. I, 85; *σεμνολογεῖν ὑπέρ:* Civil. I, 37. *περί:* Samn. 10. Hisp. 95. Ill. 13. Civil. I, 9; *ἐκλογεῖσθαι ὑπέρ:* Civil. V, 77. *περί:* Mithr. 104; *παρακαλεῖν ὑπέρ:* Civil. II, 125. IV, 69. *περί:* Pun. 50. 57. Civil. II, 130. V, 122.

Verborum κινδυνεύειν, πολεμεῖν, ἀγωνίζεσθαι, διαφέρεσθαι etc., quae nunc cum ὑπὲρ nunc cum περὶ Appianus construere solet, exempla proferre longum est. Hunc dicendi usum, ut salvo verborum sensu ὑπὲρ ponatur loco praepositionis περί, apud posteriores demum Atticos scriptores inveniri docent grammatici[1]). Neque enim in Thucydidis neque in Xenophontis libris huius usus exempla legi. Inveniuntur primum vestigia apud Atticos oratores velut Demosthenem, Aeschinem, Hyperidem ita tamen, ut praepositio περὶ longe praevaleat[2]). Inde ab illis scriptoribus increbruit hic loquendi usus paulatimque tantopere invalescere coepit, ut recentioribus linguae Graecae temporibus praepositio ὑπὲρ usum voculae περὶ aut prope accederet aut plane aequaret. Ut breviter exponam, περὶ praefert Appianus; de Polybii ratione vide Krebsium l. l. p. 26 sqq. et 45. Apud Arrianum ὑπὲρ tot paene exempla legi quot particulae περί, cf. exp. Alex. I, 5. 17. 25. II, 1. 6. 14. III, 4. 30. IV, 8. 10. 13. 14. 28. V, 2. 3, 27 etc. At in Dionys. Hal. libris multo saepius positum est ὑπὲρ quam περί, cf. ant. Rom. I, 7 (bis). 39. 40. 54. 68. 70. 88. II, 3. 7. 21. 26. 27. 36. 40. 47. 49. 50. 59 (bis). 64. 65. 67. 68. 69. 74 etc.

B. Cum accusativo.

Locali vi instructum ὑπὲρ quadragies fere exstat, qnod apud Atticos haud facile fieri testis est Kruegerus[3]). Adiungitur vero ὑπὲρ apud Appianum verbis movendi et quiescendi:

a) Pun. 129: ταῖς κεφαλαῖς ὑπερεῖχον ὑπὲρ τὸ ἔδαφος. Mithr. 1: περάσαντας ὑπὲρ τὸ Βυζάντιον ἐς τὴν Θρᾳκῶν. Syr. 19: ὑπὲρ τὸ στρατόπεδον ἐγίγνετο ἤδη. Civil. II, 61:

---

1) cf. Krueg. 68, 28, adn. 3.

2) cf. Rehdantz, Grammatischer und lexicalischer Index zu Demosthenes s. v. ὑπέρ.

3) cf. 68, 29, adn. 1. Thom. Mag. p. 868: τὴν ὑπὲρ πρόθεσιν τὴν ἐπάνω χέσιν δηλοῦσαν πρὸς γεννικὴν ἐκφέρουσιν Ἀττικοί. Ἕλληνες δὲ πρὸς αἰτιατικήν.

τὸν ἀετὸν ὑπὲρ τὸ χαράκωμα ῥῖψαι. Alia exempla sunt Civil. II, 147. IV, 17. 79. V, 109.

b) Pun. 95: *ἱπποστάσια δ' ὑπὲρ αὐτοὺς ἦν.* ibid. 97: *ὑπὲρ τὴν λίμνην ἐστρατοπεδευμένον.* Civil. I, 62: *διεχείμαζεν μικρὸν ὑπὲρ Λιβύην ἄνω.* II, 43. *τοὺς ὑπὲρ τὸν Σίκοριν ποταμὸν ἀποληφθέντας.* IV, 134: *ὄρνεά τε πολλὰ ὑπὲρ τὸ στρατόπεδον καθήμενα.* Plerumque ut gentium sedes describantur, ita adhibetur *ὑπὲρ*, cf. Proem. 4: *Κελτῶν τῶν ὑπὲρ Ῥῆνον.* ibid.: *Γετῶν τῶν ὑπὲρ Ἴστρον.* Gall. 15: *Γερμανῶν τῶν ὑπὲρ Ῥῆνον.* Ill. 1: *Ἰλλυροὺς τοὺς ὑπέρ τε Μακεδονίαν καὶ Θρᾴκην.* Civil. I, 107: *τὴν ὑπὲρ Ἄλπεις Γαλατίαν.* 109: *Γελτῶν τῶν ὑπὲρ Ἄλπεις.* II, 13: *Γαλατίας τῆς ὑπὲρ Ἄλπεις* [1]). II, 71: *τοὺς (Ἀρμενίους) ὑπὲρ Εὐφράτην.* Similia legas Hisp. 90. Hann. 11. Mac. 18, 1. Syr. 57. Mithr. 15.

ΚΑΤΑ.

A. Cum genetivo.

Localis huius praepositionis usus nihil praebet, quod ab Atticorum consuetudine loquendi abhorreat. Translatae autem notionis nonnulla commemoratione digna in Appiani libris leguntur, quibus Appianum paulo longius quam Attico licuit progressum esse patebit. Est enim notum *κατὰ* genetivo additum apud Atticos post certa quaedam verba velut *λέγειν, φάναι* vel alia, quibus subest notio verbis expressa, usurpari

a) cum non de infenso animo dicitur, ut idem valeat quod *περὶ* Latinorum de significans, quamquam huius usus nulla apud Thucydidem, haud ita multa apud Platonem, Xenophontem, oratores Atticos exempla inveniuntur [2]).

---

1) vide supra p. 42.

2) cf. Krueg. 68, 24, adn. 2. Kuehn. 433, 3. R. Thomaszewski, de praepos. *κατὰ* vi et usu, p. 17.

b) cum de inimico animo est cogitandum, ut proxime accedat particulas *πρὸς* vel *ἐπί*[1]).

Aliam autem iam videbis esse rationem hac vocula utendi apud Appianum, cuius in libris praepositionem *κατὰ* translate cum genetivo copulatam ad unum omnibus locis infecto animo et hostili instructam esse tam singulare est, ut ex omnium generum verbis suspensa in universum respondere videatur Latinae praepositioni contra vel adversus et tum quoque ponatur, ubi apud Atticos praepositiones *πρὸς* vel *ἐπὶ* adhiberi usitatum ac sollemne est. In exemplis autem describendis Appianeis eam dispositionem, qua usus est C. Przybilla[2]), mihi servandam esse ratus rem ita instituam, ut omissis iis, quae Atticorum quoque communia sunt ac trita velut *λέγειν, φάναι κατά τινος,* ea solum afferam, quae ab illorum usu diversa Appianique magno opere propria sunt, et commemorabo locos, quibus posita est praepositio *κατὰ* post verba

a) media,

b) iudicialia,

c) affectuum.

Illius, quod quartum collocavit Przybilla, generis (verba iurandi et confirmandi), cum nullum apud Appianum investigaverim exemplum, hoc loco missum faciamus.

a) Notentur igitur loci, ubi occurrit *κατὰ* e verbis mediis, quibus a natura infectus animus nullus inest, suspensum:

Reg. 12: *ἀποδεικνύμενον ἔργα λαμπρὰ κατὰ τῶν Σαβίνων.* Similiter Mithr. 95: *τὸ κατὰ σφῶν ἔργον ἀποδείξειν.* Civil. III, 87: *οἷα πεποιηκέναι κατὰ τῶν εἰληφότων.* II, 50: *τάδε πράττοντι κατὰ τῆς πατρίδος.* III, 32: *(μὴ) διαπραχθῇ τοῖς ἐχθροῖς καθ' ἡμῶν ἃ βούλονται.* IV, 33: *μήτε συμπράξαιμεν ὑμῖν κατ' ἀλλήλων.* Syr. 15: *πολλά τε ἄλλα καθ'*

---

1) cf. Krueg. l. l. Kuehn. ibid.

2) cf. l. l. I, p. 33 sq.

ἑτέρων ἐξειργασμένου λαμπρά. Civil. IV, 112: μέγα ἂν εἰργάσαντο κατὰ τῶν ἑτέρων. Conferri lubet, quae s. v. ἐς p. 39 adnotavimus.

Ital. 5, 1: κατὰ Ῥωμαίων ἐκστρατεύσαντος (τοῦ Μαρκίου). Civil. I, 78: στρατεύσοντες ἑκόντες κατὰ πολιτῶν. V, 39: στρατευσάμενοι καθ' ἑαυτῶν. Similiter Civil. I, 2: στρατεῖαι μεγάλαι καὶ βίαιοι κατὰ τῆς πατρίδος ἐγίγνοντο. II, 28: χρόνιον αὐτῷ τὴν στρατείαν καὶ ἐπίπονον καθ' ἐθνῶν μαχιμωτάτων γεγονέναι. cf. IV, 38: ναυαρχήσαντα κατὰ τοῦ Ἀντωνίου. V, 31: τοῖς πολεμοῦσι κατὰ τῆς κοινῆς δυναστείας. IV, 9: τοῦ καθ' ἡμῶν πολέμου.

Samn. 6: Τυῤῥηνοῖς συνεμάχουν κατὰ Ῥωμαίων. Sic semper fere συμμαχεῖν κατά τινος, cf. Sicil. 1. Hisp. 100. Mac. 9, 5. 11, 7. Syr. 16. 50. Mithr. 62. 121. Civil. IV, 67. Huc quoque pertinent loci Syr. 44: τῇ κατ' Ἀντιόχου συμμαχίᾳ. idem: Civil. III, 96. Samn. 6: μισθοφοροῦσι κατὰ Ῥωμαίων. idem: Gall. 11 (bis).

Samn. 4, 4: οἷς (ὅπλοις) ἐχρήσαντο ἀεὶ καθ' ἡμῶν. ibid.: ᾗ τινι αἰσχύνῃ καὶ αὐτοὶ κατ' ἄλλων ἐχρήσαντο. Alia dictionis χρῆσθαί τινι κατά τινος exempla legas Civil. I, 34. III, 31. 40. 47. V, 24. 61. cf. III, 64: τὴν βουλὴν ἀποχρῆσθαι οἱ κατ' Ἀντωνίου. V, 28: καταχρῆσθαι τοῖς λοιποῖς κατ' ἀλλήλων.

Variorum verborum exempla haec afferantur: Hisp. 101: ἐς ἐμφυλίους πολέμους καὶ στρατόπεδα κατὰ τῆς πατρίδος διῃρημένων. Pun. 120: ἦν αὐτῷ τοῦτο στρατόπεδον κατὰ τῶν ἐχθρῶν ἐπιτείχισμα ἐπίμηκες. Mac. 11, 1: παρασκευὴν τοσήνδε κατ' αὐτῶν συναγαγόντι, cf. Civil. I, 10. Mithr. 112: οὐδεμίαν κατὰ Ῥωμαίων ὁδὸν ἐς ἐπιχείρησιν. Civil. I, 2: κατ' ἀλλήλων ξενολογοῦντες. ibid. 38: ἐπιπολάζοντος τοῦ κακοῦ κατὰ τῶν ἀρίστων. 81: κατὰ τῶν ἐχθρῶν ᾔει. 96: ταῦτ' ἤκμαζε μάλιστα κατὰ τῶν πλουσίων. ibid.: ἔξων φρούρια κατὰ τῆς Ἰταλίας. II, 22: ὡπλισμένοι κατ' ἀνόπλων. 76: τοιάδε κατ' ἀλλήλων ἐμηχανῶντο. 77: ξίφη φέρουσι κατ' ἀλλήλων. 109: ἐχθροῖς λαβὴν ζητοῦσι καθ'

ἑαυτοῦ. 152: *μή τις ἐπιβουλὴ γένοιτο κατὰ τοῦ βασιλέως.* III, 16: *κατ' ἐμαυτοῦ δορυφορεῖσθαι.* IV, 8: *στρατὸν ἀγείρουσι καθ' ἡμῶν.* V, 4: *συνετελεῖτε χρήματα πολλὰ καθ' ἡμῶν.* 98: *συλλήπτορας αὐτῷ κατ' ἐχθρῶν γενέσθαι.* 134: *Καίσαρι τὰς ναῦς κατ' αὐτοῦ παρέσχες.* 139: *ἐξ ὅσων Ἀντώνιος ἐκεχρήκει κατὰ Πομπηίου Καίσαρι.*

b) Iam sequuntur loci, quibus post verba e forensi consuetudine dicendi desumpta praepositio *κατὰ* exhibetur. Tria solum apud Appianum inveniuntur exempla, ubi non proprium verbum iudiciale positum est sed dictio quaedam ad illorum verborum rationem formata:

Civil. I, 37: *κρίσεις εἶναι κατὰ τῶν βοηθούντων.* 54: *ἐδίδου κατ' ἀλλήλων αὐτοῖς δικαστήρια.* III, 15: *εἰ δίκης ἔδει κατ' αὐτοφώρων.*

c) Nec frequentes esse videmus eos locos, quibus affectuum verba vel nomina continentur:

Reg. 12: *Σαβίνους κατὰ Ῥωμαίων ἠρέθιζεν.* idem: Civil. II, 63. Similiter II, 28: (*εἶχειν*) *ἐρέθισμα κατὰ τοῦ Καίσαρος.* Pun. 65: *παρωξυμμένοις κατὰ Ῥόδου.* Civil. I, 104: *κατὰ τῶν μεγίστων ἀνδρῶν τε καὶ πόλεων ἄκρος ὀργὴν γενόμενος.*

Nonnulla quoque exempla exstant, ubi verbum dicendi vel accusandi vel tale quid est subaudiendum:

Hisp. 10: *ἐντυχεῖν οἱ κατὰ τῶν Ζακανθαίων.* ibid. 11: *ἐς Καρχηδόνα πλευσεῖσθαι κατ' αὐτοῦ.* Mac. 11, 5: *πρέσβεις κατ' αὐτοῦ περιπέμπουσιν.* cf. ibid. 11, 7: *βαρβάρων κατ' Εὐμένους πρεσβευσάντων.* idem: Mithr. 15. Civil. I, 22: *οἵ τε πρέσβεις οἱ κατ' αὐτῶν ἔτι παρόντες.*

Priusquam autem ad accusativum transeamus, iuvat afferre locos, qui aliam elocutionis Appianeae proprietatem nobis ostendunt. Exstat. Samn. 1 hoc: *τὴν νίκην ἀτυχεστάτην ἔσεσθαι τῇ πόλει κατ' οἰκείων τοσῶνδε.* Similiter Civil. V, 92: *ἀγγέλλεται νίκη κατὰ Κελτῶν τῶν Ἀκυιτανῶν ἐπιφανής.* Gall. 1: *ἔστησε δὲ κατὰ Κελτῶν καὶ Πάππος Αἰμίλιος τρόπαια.* Hunc dicendi usum e Latinorum sermone

petitum esse quis neget? Quid? Tales locutiones ad verbum e Latina lingua expressas si ante oculos tibi proponas, Appianum ex ipsis Latinorum scriptorum fontibus hausisse nonne tu conscedas? Quod etiam clarius fiat, si comparetur Civil. I, 80: *θριαμβεῦσαι κατὰ τῶν Νομάδων* = triumphare de Numidis. Similia habes Pun. 135: *ὅτε καὶ κατὰ Μακεδόνων τρίτος ἤγετο θρίαμβος καὶ κατὰ τῆς Ἑλλάδος πρῶτος.* Ill. 28: *ὃν (θρίαμβον) ἐθριάμβευσεν ἅμα τοῖς κατ' Ἀντωνίου.* Civil. I, 46: *κατ' αὐτοῦ θρίαμβον γενέσθαι.* ibid.: *κατὰ Μαρσῶν γενέσθαι θρίαμβον* [1]).

B. Cum accusativo.

Accusativo adiunctae praepositionis *κατὰ* nihil fere animadvertendum est nisi quaedam locutiones saepe repetitae, quae plerumque quasi adverbii vim obtinere apparet, cf. *κατὰ σπουδήν:* Hisp. 28. 88. Hann. 32. 47. 58. Pun. 14. 113. Syr. 4. 21. 25. 26 (bis). Mithr. 25. 46. 50. 88. Civil. I, 30. 44. 45. 66. 93. 106. II, 31. 38. 41. 56. 65. III, 90. 92. IV, 63. 86. 102. 107. 122. V, 27. 32. 45. 58. 61. 65. 68. 91. 106. 122. 137.

Κατὰ τάχος: Pun. 114. Syr. 4. Mithr. 34. 45. 83. 108. Civil. II, 32. V, 19.

Κατὰ κράτος: Samn. 4. 7. Hann. 5. Pun. 94. Ill. 24. Syr. 36. 50. Mithr. 70. Civil. I, 38, 64. 95. II, 35. 62. V, 134.

κατὰ λόγον: Prooem. 14. Hisp. 23. Mithr. 17. 78. 111. Civil. III, 24. IV, 76. V, 106 [2]).

καθάπερ, quae locutio paucis locis exceptis in rebus comparatis pro *ὡς* (*ὥσπερ*) ab Appiano usurpata reperitur, cf. Samn. 10, 3. Gall. 1, 3. Hisp. 49. Hann. 18. Pun. 29. 64. 71. 126. Mac. 8. 9, 3. Ill. 11. Syr. 28. Civil. I, 44, 54. 70. 86. II, 13. 18. 44. 55 (bis). 76. 79. 82. 94. 106. 107. 117. 150 (bis). 154. III, 59. IV, 106. 133. 134. V, 44. 58. 61. 79. 83. 93.

---

1) cf. s. v. *ἀπό*: Gall. 1, 1: *καὶ ἐθριάμβευσεν ἀπ' αὐτῶν.* Mithr. 103: *καὶ ἐθριάμβευσεν ἐς Ῥώμην καὶ ἀπὸ τῶνδε.*

2) cf. *ἀνὰ λόγον*: Mithr. 116. Civil. IV, 100. 118.

Neque pauca leguntur exempla, ubi pro hac Attica formula positum est καθά, quod ab Atticorum sermone alienum ante Polybii tempora scriptoribus non esse in usu docuit Kaelkerus[1]. Appiani exempla haec fere sunt: Prooem. 13. Samn. 11. Pun. 57. 108. Mac. 11, 6. Ill. 1. Syr. 50. Mithr. 107. Civil. I, 62. 88. 100. 101. II, 51. 102. 153. 154. III, 76. 80. IV, 84. 123. V, 46. 65. 76.

Hic subiungere liceat frequentissima eius usus exempla, ex quo adhibetur κατὰ distributiva notione; dimidiam fere omnium locorum partem apud Appianum, quibus praepositio κατὰ cum accusativo coniungitur, referendam esse intellegas ad illam modo descriptam significationem. Huc voco κατὰ μέρος: Hisp. 5. 59. 67. Hann. 24. Pun. 6. 19. 21. Mithr. 41. 45. 50. 116. Civil. I, 10. 14. 59. 77. 82. 107. II, 81, III, 23. V, 1. Frequentius exstat hoc sensu pluralis numerus κατὰ μέρη: Hisp. 58. 65. 93. Hann. 24. Pun. 10. 12, 126. Syr. 50. Mithr. 92. 95. 119. Civil. I, 7, 38. 55. 84. 87. 90. 92. II, 49. 63. 75. 78. 89. III, 92. IV, 56. 82. 101. V, 2. 59. 125[2].

κατὰ πλῆθος: Mithr. 61. 78. Civil. I, 5. 60 (bis). 83. 91. 120. II, 70. 133. V, 17. 35.

κατ' ὀλίγον: Hisp. 76. 88. Hann. 43. Pun. 70. Mac. 16. Mithr. 18. 24 (bis). Civil. I, 8. 9. 87. II, 47. 127. III, 69. V, 107. Similiter κατὰ μικρόν: Pun. 111. Civil. II, 143.

ΑΜΦΙ.

Huius praepositionis satis frequenter ab Appiano adhibitae haec rariora commemoremus:

A. Cum genetivo.

Translate dicitur ἀμφὶ eodem sensu quo περὶ genetivo

---

1) cf. Fr. Kaelker, quaestt. de docutione Polybiana, P. IV. p. 300, 2.

2) voculae κατὰ locum saepe succedit ἀνά, cf. Hisp. 82. Syr. 58. Mithr. 22. Civil. I, 119. II, 8. III, 44. IV, 7. 54. V, 120. plur. num. Civil. II, 56. IV, 19. V, 129.

additum his quattuor Appianeis locis: Hisp. 18: *ἐσεμνολόγησεν ἀμφί τε τοῦ πατρός καὶ ἀμφὶ τοῦ θείου.* Civil. II, 23: *ὁ Πομπήιος ἀμφὶ μὲν τοῦ Καίσαρος ἠγανάκτει.* III, 17: *καὶ τάδε μὲν ἀμφὶ τούτων.* V, 134: *ὁ δὲ Ἀντώνιος πυθόμενος μὲν εὐθὺς ἀμφὶ τοῦ Πομπηίου.*

Omnino se magnopere abstinuisse videntur scriptores Attici hac particula cum genetivo socianda, quam in pedestri Atticorum oratione vix reperias; nam duo solum, quae affert Kruegerus [1]) exempla apud Xenophontem legimus, cf. Cyr. educ. III, 1, 8. exp. Cyr. IV, 5, 17. Similiter rem se habere videbis in dativo.

B. Cum dativo.

Dativo enim adiunctum *ἀμφὶ* in Appiani libris quinquies decies exstat, quod apud Atticos prosae orationis scriptores frustra quaeres [2]).

a) Locali notione praediti sunt hi loci: Hann. 17: *ἐστρατοπέδευον ἀμφὶ κάμῃ τινί.* Mithr. 65: *καὶ εὐθὺς ἀμφὶ τῷ ποταμῷ μάχη γίγνεται καρτερά.* Civil. I, 50: *ἑτέρους ἔκτεινεν ἀμφὶ τοῖς τείχεσιν.* II, 118: *ἀπφὶ δὲ αὐτῷ Καίσαρι στρατιωτικὸν μὲν οὐκ ἦν.* III, 66: *καὶ τάδε μὲν ἦν ἀμφὶ τῇ Μουτίνῃ.* Alios locos petas e Pun. 3. Civil. I, 109. IV, 46. 77. 82. 109. V, 85. 98 [3]).

b) Bis legitur *ἀμφὶ* translata significatione: Civil. II, 6: *καὶ ὁ Κικέρων δεδιὼς ἀμφὶ τῇ νυκτὶ προσιούσῃ·* ibid. 77: *κινδυνευέτον ἀμφὶ τῇ σωτηρίᾳ* [4]).

C. Cum accusativo.

Amplissimos fines habere inveni accusativum. Sed in hac quoque re, ut mihi videtur, Appianus paulo Atticorum modum egressus est. Etenim cum *ἀμφὶ* quarto casui adiectum plerumque soleat poni in formula *οἱ ἀμφί τινα* aut ad tempus vel numerum denotandum aut quamquam raro

1) cf. 68, 30, adn. 1.
2) cf. Krueg. 68, 31, adn. 2.
3) cf. Arr. exp. Alex. I, 22. III. 14, VI, 1, 10.
4) cf. Arr. exp. Alex. II, 3, 8. III, 30. V, 6.

in locutionibus εἶναι, ἔχειν, γίγνεσθαι ἀμφί τι [1]), passim Appianus hanc vocem admisit.

a) ad locum significandum, ubi apud Atticos saepius περὶ accusativo praepositum legitur. Hip. 72: παρεκάθηντο πάντες ἀμφ' αὐτό (πῦρ). Hann. 55: ἐνοχλοῦντας ἀμφὶ τὴν Ἰταλίαν.. Pun. 9: Μάγωνι δ' ἀμφὶ τὴν Λιγυστίνην ξεναγοῦντι πεζούς. Ill. 15: ἀμφὶ τήνδε τὴν χώραν ἐχείμαζεν. Mithr. 29: ἀμφὶ Χαιρώνειαν Ἀρχελάῳ καὶ Ἀριστίωνι τρισὶν ἡμέραις συνεπλέκετο. Civil. I, 92: ἐστρατοπέδευον ἀμφὶ τὴν Ἀλβανῶν γῆν. II, 42: ἐπολέμουν ἀμφὶ πόλιν Ἰλέρτην. III, 14: διατριβῆς δὲ ἀμφὶ τὰς θύρας πλείονος γενομένης. IV, 78: καὶ ἑτέροις δὲ ἐσωθιζομένοις ἀμφὶ τὴν ἔσοδον. V, 143: τῆς ἀμφὶ τὰς δύσεις θαλλάσσης et saepius.

b) Deinde vero frequentissima sunt exempla formulae οἱ ἀμφί τινα, cuius nullum me investigasse moneo vestigium, ubi eum, qui nominatur, solum declarans haec locutio esset intellegenda [2]), quod recentioris linguae proprium esse grammatici explicant [3]). Proferamus Hisp. 81: οἱ ἀμφὶ τὸν Κίνναν. Mithr. 6: οἱ ἀμφὶ τὸν Ἄτταλον. Civil. I, 32: οἱ ἀμφὶ τὸν Ἀπουλήιον. 41: οἱ ἀμφὶ τὸν Κράσσον. II, 4: οἱ ἀμφὶ τὸν Λέντλον. 33: οἱ ἀμφὶ τὸν Ἀντώνιον. III, 4: οἱ ἀμφὶ τὸν Βροῦτον. 8: οἱ ἀμφὶ τὸν Κάσσιον. 66: οἱ ἀμφὶ τὸν Καίσαρα. IV, 106: οἱ ἀμφὶ τὸν Νωρβανόν. V, 23: οἱ ἀμφὶ τὸν Λεύκιον. 35: οἱ ἀμφὶ τὸν Ἀγρίππαν. 142: οἱ ἀμφὶ τὸν Φούρνιον. Locutionis εἶναι, γίγνεσθαι ἀμφί τι loci sunt Mithr. 84: καὶ Σεξτίλιος μὲν ἀμφὶ ταῦτα ἐγίγνετο. ibid. 107: καὶ ὁ μὲν ἀμφὶ ταῦτα ἦν. Civil. I, 67: καὶ Κίννας μὲν ἀμφὶ ταῦτ' ἐγίγνετο. cf. Civil. III, 6. 32. V, 77.

ΕΠΙ.

A. Cum genetivo.

---

1) cf. Krueg. 68, 30, adn. 3.

2) Idem dicendum est de praepositione περὶ accussativo adiuncta, cf. Hisp. 74. Mithr. 18. 43. Civil. I, 26. 28. etc.

3) cf. Krueg. 50, 6.

Translate positae praepositionis ἐπὶ sat multa apud Appianum exempla habemus, ubi dicitur haec particula de statu ac condicione, in quam quis incidit vel versatur, ut plurimae tales dictiones adverbialiter sumi possint. Ad quem usum illustrandum hi loci viam muniunt:

Hisp. 41: *διέμειναν ἐς πλεῖστον ἐπὶ εἰρήνης*. ibid. 101: *ἤλαυνεν ἐς Ῥώμην ἐπὶ τόλμης καὶ φρονήματος λαμπροῦ· ἑλέσθαι τοὺς παρὰ σφίσιν ἐπὶ μεγίστης τότε δόξης στρατηγούς*. Syr. 40: *καὶ ἐς τὸ δικαστήριον αὐτὸς παρῆλθεν ἐπὶ λαμπροῦ σχήματος*. Mithr. 97: *εἵλοντο στρατηγὸν ἐπὶ τῆς ὁμοίας ἐξουσίας*. ibid. 116: *ὁ δὲ ἐθριάμβευσεν ἐπὶ λαμπροτάτης καὶ ἧς οὔτις πρὸ τοῦ δόξης*. Civil. I, 77: *Σύλλας δ' ἐπὶ φρονήματος ἐπέστελλε τῇ βουλῇ*. II, 36: *τὸν Πομπήιον οὐκ εἴων ἐπὶ τῆς ἑαυτοῦ γνώμης ἐμπειροπολέμως εὐσταθεῖν*. 71: *ἀλλ' ἐπὶ ἀργίας ἐν Κερκύρᾳ κατέμενον*. 78: *καὶ τὸ μὲν Ἰταλικὸν ἅπαν εὐσταθῶς ἐφ' ἡσυχίας ἀκριβοῦς ἀνέμενεν*. 106: *ὁ δὲ Καῖσαρ ἐς Ῥώμην ἠπείγετο ἐπὶ φόβου καὶ δόξης οἵας οὔ τις πρὸ τοῦ*. IV, 37: *ἐπ' ἀδείας ἐξέπλευσεν*. 100: *καὶ ἐπὶ σχολῆς ἐκτρύχειν τοὺς πολεμίους λιμῷ*. V, 90: *οἱ δ' ἐφ' ἡσυχίας παρέμενον καὶ τὸ δεινὸν ἐκδεχόμενοι*. Plerumque hoc, quod quaeritur, dicendi genus exhibetur post certa quaedam verba velut *εἶναι*, *γίγνεσθαι* etc., e quibus suspensam praepositionem *ἐν* potius ursurpari exspectaveris:

a) post *εἶναι*: Hisp. 32: *καὶ Μάγων μὲν ἐπὶ ἀργίας ἦν*. idem: Civil. I, 19. 110. Hisp. 32: *τὴν πόλιν ἐπέτρεψεν ἑνὶ τῶν Καστακαίων ἐπὶ δόξης ὄντι ἀγαθῆς*. idem: Mithr. 94. Hisp. 36: *ἐφ' ἡσυχίας ἦν σκυθρωποῦ*. Hann. 43: *καὶ ἐπὶ τρυφῆς ἦν οὐ συνήθους*. idem: Civil. I, 113. Ill. 22: *ὅθεν ἦσαν ἐπὶ φρονήματος οἱ Σεγεστανοί*. Syr. 3: *αὐτὸς ἐπὶ σχολῆς ὤν*. Mithr. 109: *ἀνδρὶ ἀπ' οὐδεμιᾶς ἀξιώσεως ὄντι*. Civil. II, 25: *ἐτέχναζε δὲ ἐπὶ δυνάμεως εἶναι*. Simil. V, 2, V, 126: *ἐφ' οὗπερ ἦν σχήματος*. His locis etiam adnumerandum est, quod legimus Civil. II, 67: *τῶν ἐπ' ἀξιώ-*

σεως αὐτὸν ἐπιτωθαζόντων; οἱ ἐπ' ἀξιώσεως pro sollemni locutione οἱ ἐν ἀξιώσει vel οἱ ἐν τέλει.

6) post γίγνεσθαι· Sivil. 2, 3: ἀπὸ δὲ τῆς ἐν Σικελίᾳ στρατείας ἐπὶ φρονήματος γεγονότες. Hisp. 9: ἐπὶ κλέους ἀθανάτου γενήσεσθαι. Pun. 6: καὶ ἐπὶ δόξης ἐκ τοῦδε πολλῆς γενόμενος. 93: ἐπὶ θαυμαστῆς ἐγίγνοντο μεταβολῆς τε καὶ τόλμης. Mac. 19: Παύλῳ ἐπ' εὐτυχίας τοσῆσδε γενομένῳ. Civil. IV, 54: ὁ Σίττιος ἐπὶ ὀνόματος ἐγίγνετο. Similiter se habent loci Pun. 98: καὶ τοῦτο πρῶτον αὐτὸν ἐπὶ δόξης ἐποίησεν. Civil. I, 7: ἐπ' ἀργίας διετίθεντο.

Hoc, cum neque apud Xenophontem talem praepositionis ἐπὶ usum invenerim et in Thucydidis libris unum exstare exemplum Kuemmellius ostenderit [1]) omninoque eum apud Atticos solutae orationis scriptores angustos fines habere invenerim [2]) inter Appianeae elocutionis proprietates enumerandum esse existimo.

B. Cum dativo.

Dativo additum ἐπὶ non nihil nobis praebere cognovi, quod ab Atticis aut plane diversum aut maxime et Appiani et aliorum recentiorum est proprium ac peculiare. Primum enim aliquot exempla legimus eius usus, quo indicatur id, quod Latini dicunt: ,,res cum ita se habeat", nos „unter den obwaltenden Umständen." Cuius usus, cum Atticorum quoque communem eum esse in propatulo sit, exempla ex Appiani libris collecta laudare nolo, sed ea solum adnotabo, quae ut reliquorum recentioris linguae scriptorum sic Appiani proprium esse e grammaticis intelleges [3]).

Appiani loci hi sunt: Ill. 7: Ἄγρων μὲν ἐπὶ παιδίῳ σμικρῷ, Πίννῃ ὄνομα, ἀποθνήσκει. Syr. 52: Ἀλεξάνδρου

1) cf. C. Kuemmell, de praepos. ἐπὶ cum casibus coniunctae usu Thucydideo, p. 16.

2) cf. Rehdantz, l. l. s. v. ἐπί.

3) cf. Kuehn. 438, 2, II, 3, 6.

δ' ἀποθανόντος ἐπὶ παισὶ τῷ μὲν βραχεῖ πάνυ τῷ ἔτι κυϊσκομένῳ [1]).

Deinde ab illo usu, ex quo per voculam *ἐπὶ* significatur aliquid addi vel accedere ad alterum rem, defluxerunt exempla, ubi numeralia composita, quae alias per *καὶ* iunguntur, Appianus formare solet per praepositionem *ἐπί*. Quo ex genere propono haec:

Hisp. 19: *ἱππέας πεντακοσίους ἐπὶ δισχιλίοις*. 64: *ἱππέας χιλίους ἐπὶ τριακοσίας*. 67: *ἱππέας ἑξακοσίους ἐπὶ χιλίοις*. Hann. 4: *ἱππέας ἐς δισχιλίους ἐπὶ μυρίοις*. 52: *πεζοὺς μὲν τετρακισμυρίους ἐπὶ ὀκτακισχιλίοις*. Pun. 13: *πεζοὺς μὲν ἑξακισχιλίους ἐπὶ μυρίοις*. Syr. 46: *καὶ ἔτος ἄγοντα τρίτον ἐπὶ τοῖς εἴκοσιν*. 70: *ἡ δὲ ἀρχὴ τῶν Σελευκιδῶν ἐς τριάκοντα ἐπὶ διακοσίοις ἐνιαυτοὺς διίκετο*. Mithr. 69: *καὶ ἱππεῖς ἐπὶ μυρίοις ἑξακισχίλιοι*. 72: *ἱππέας ἐς χιλίους ἐπὶ ἑξακοσίοις*. 112: *ἐβίω δ' ὀκτὼ ἢ ἐννέα ἐπὶ τοῖς ἑξήκοντα ἔτεσιν*. Civil. I, 121: *ἔτος δ' ἔχων τέταρτον ἐπὶ τοῖς τριάκοντα*. II, 32: *τριακοσίους ἐπὶ δισχιλίους σταδίους διαδραμών*. 70: *ἐς δισχιλίους ἐπὶ δισμυρίοις*. 82: *δισμυρίους ἐπὶ πεντακισχιλίοις*. 102: *στεφάνους δύο καὶ εἴκοσι καὶ δισχιλίους ἐπὶ τοῖς ὀκτακοσίοις*. 117: *μέχρι τριῶν ἐπὶ εἴκοσι πληγῶν*. 149: *ἔτος ἄγων ἕκτον ἐπὶ πεντήκοντα*. V, 50: *ἱππέας ἑξακισχιλίους ἐπὶ πεντακοσίοις*. 101: *πεντακοσίους ἐπὶ χιλίοις σταδίους:* Ex hoc exemplorum numero cerni potest, qualis sit illa dicendi consuetudo Appiani quantumque ab Atticis ille recedat. Nam, ni fallor, admodum raro plerumque in numeris ordinalibus ita loqui Attici solebant, cum apud Xenophontem nullum huius usus exemplum exstet, Thucydides autem unum nobis praebeat [2]), quamquam apud hunc illo loco aliam rationem subesse ego quidem iudico [3]).

Est igitur hoc et Appiani et aliorum recentiorum pro-

---

1) cf. Herodian. III, 15, 3: *ἐπὶ παισὶ νεανίαις διαδόχοις ἀνεπαύσατο*. IV, 2, 1: *τοὺς ἐπὶ παισὶ διαδόχοις τελευτήσαντας*.

2) cf. Kuemmell, l. l. § 7, 9.

3) cf. Iul. Poll. onom. I, 63. Boeckh, epigr. chronol. St. p. 89.

prium ac commune, ut numeralia amplioris potissimum ambitus efficiantur per aliquam praepositionem. Qua re, ut hoc exemplis clarius fiat, conferre velis Polybium, quem in talibus verborum compositionibus usum esse praepositione *σὺν* iam Krebsius demonstravit [1]). Plutarchum adhibere legi praepositiones *πρὸς* et *ἐπί*, cf. Popl. 9: *τριακόσιοι μὲν ἐπὶ χιλίοις καὶ μυρίοις ηὑρέθησαν.* Sall. 27: *ὀκτακισχιλίους ἐπὶ μυρίοις ἀπέκτειναν.* Similiter Ant. 61. Galb. 2. At *πρὸς* apud eundem habes Fab. Max. 3: *πεντακισχίλιοι πρὸς μυρίοις.* Them. 31: *πέντε πρὸς τοῖς ἑξήκοντα βεβιωκὼς ἔτη.* Luc. 7: *ἱππεῖς δὲ πρὸς μυρίοις ἑξακισχιλίους.* Similis est ratio Dionysii Hal., cf. I, 3: *πέντε καὶ τεσσαράκοντα ἤδη πρὸς ἑπτακοσίοις ἔτεσιν.* 74: *ἔτη περιείληφεν εἴκοσι πρὸς τοῖς ἑκατόν.* 75: *ἔτη τέσσαρα πρὸς τοῖς εἴκοσιν.* I, 8: *τὴν τρίτην ἐπὶ ταῖς ἐνενήκοντα καὶ ἑκατὸν ὀλυμπιάσιν ἀπεδείχθησαν.* 8: *τῆς ὀγδόης καὶ εἰκοστῆς ἐπὶ ταῖς ἑκατὸν ὀλυμπιάσιν.* 14: *τέσσαρας δὲ ἐπὶ τοῖς εἴκοσι σταδίους.* II, 37: *πεντακισχιλίους ἐπὶ δύο μυριάσιν* aliaque permulta.

C. Cum accusativo.

In praepositione *ἐπὶ* quarto casui adiuncta apud Appianum non possum referre, quod a communi huius voculae usu recedat.

ΠΡΟΣ.

Quae mihi huius praepositionis apud Appianum videntur ab Atticorum sermone scriptorum discrepare, haec fere commemorentur:

A. Cum genetivo.

Cum genetivo coniunctum *πρὸς* hominem quoque significat, a quo actio aliqua proficiscitur, ut post verba passiva vel passiva vi utentia similiter adhibeatur ac praepositio *ὑπό*. Quem usum perraro apud prosae orationis scriptores Atticos inveniri monent grammatici [2]). Ut exemplo utar, hoc

1) cf. Krebs. p. 36, 4.
2) cf. Krueg. 52, 52.

sensu usurpatae praepositionis *πρὸς* nullus exhibetur locus apud Thucydidem, cf. I. Golisch, de praep. usu Thucydideo. P. VI: de *πρὸς* praepos. p. 15.

Maiore vero libertate ac parum anxie in hac particula adhibenda versati sunt recentiores scriptores, quorum libri ubique praebent exempla, in quibus praepositio *πρὸς* ad auctorem indicandum nullo sensus discrimine ponitur loco particulae *ὑπό*. Sed qui huius usus loci in Appiani libris leguntur — sunt autem ad centum fere — iam nostrum erit proferre ita, ut primum omnes, qui verba passiva, deinde qui verba passivae notionis cum hac praepositione coniuncta exhibent, Appianeos locos adnotemus, quo facilius apud illum inter has duas voculas (*ὑπὸ* et *πρός*) nullum discrimen esse appareat.

a) Hisp. 63: *νομίζω πρὸς Ἑλλήνων πάλαι Ταρτησσὸν ὀνομάζεσθαι*. Syr. 67: *σωτὴρ καὶ ὅδε πρὸς τῶν Συρίων ὀνομασθείς*. Civil. I, 5: *κληθῆναι πρὸς αὐτῶν*. IV, 102: *ὡς οἱ πρὸς τῶν ἀμφὶ τὸν Βροῦτον εἴρητο*. Mac. 11, 2: *ὅτι πρὸς πολλῶν ἀγαπῷτο καὶ ἐπαινοῖτο*. Civil. V, 66: *πρὸς πάντων ἐπαινούμενον*. II, 2: *θεραπευόμενος ἔτι πρὸς δυνατῶν ἀνδρῶν*. III, 38: *ἀτιμωμένῳ πρὸς Ἀντωνίου*. I, 112: *ἀπιστεῖσθαι πρὸς αὐτοῦ*. II, 101: *πρὸς πάντων ἐπιποθούμενον*. IV, 45: *ἵνα μὴ γνωσθείη πρὸς ἑτέρου*.

Pun. 43: *ἐξοτρυνόμενον πρὸς τῶν Καρχηδονίων*. Mithr. 66: *πρὸς τῶν γεγονότων ἠρέθισθε*. Civil. II, 31: *κελευόμενος πρὸς ὑπάτων*. I, 30: *ὑβριζόμενοι πρὸς τοῦ Ἀπουληίου*. III, 27: *εἰ πρὸς Ἀντωνίου βιάζοιτο*. 39: *ἐπιβουλεύεσθαι πρὸς Ἀντωνίου*. idem: IV, 27. III, 39: *πρὸς Ἀντωνίου δολοφονεῖσθαι*

Hann. 60: *πρὸς αὐτῶν ὠφελεῖσθαι*. Mithr. 15: *πρὸς Ῥωμαίων ἀδικούμενος*. ibid.: *ἠδικημένος πρὸς ὑμῶν*, cf. Civil. IV, 32. 95. V, 14. 28. Semel in eodem enuntiato praepositiones *πρὸς* et *ὑπὸ* inter se excipientes Civil. IV, 32: *πρὸς ἡμῶν οἷον ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν ἠδικῆσθαι*.

Civil. I, 73: *πρὸς τῶν θεραπόντων περιεσέσωστο*. Pun. 38: *καὶ τότε πρὸς Καρχηδονίων οὕτως ἀνῄρητο*. ibid. 136: *ἀνῃρέθη πρὸς ἐχθρῶν*, cf. Civil. I, 4. III, 9. 25. Ill. 4: *πρὸς Αὐταριέων ἐφθάρησαν*. Mithr. 42: *πρὸς τῶν ὑστάτων διεφθείρετο*. Simil. Civil. I, 42. Pun. 7: *πορθουμένης* (*τῆς Ἰταλίας*) *ἔτι πρὸς Ἀννίβου*. Mithr. 67: *πρὸς τινῶν ἐνοχλούμενος*. Civil. II, 8: *πρὸς τῶν χρήστων διεκρατεῖτο*. IV, 30: *ἐλήφθη πρὸς ἀνδρός*. 95: *πρὸς τῶν ἀγριωτάτωνβα, βάρων ἁλῶναι*. idem: 129. V, 79: *πρὸς θηρίων δεδαπανημένος*. Pun. 106: *ἀφαιρεθέντι πρὸς Καρχηδονίων*. idem: Num. 4. Syr. 5. Civil. III, 12.

Pun. 90: *οἱ δ' ἐξωθούμενοι πρὸς τῶν ὑπηρετῶν*. idem: 113. Civil. III, 71. Pun. 68: *υἱῷ πρὸς ἑτέρων Ἰβήρων συγκεκλεισμένῳ*. Civil. V, 56: *ἀποκλειεσθαι πρὸς τῶν φρουρῶν*.

Civil. III, 20: *πρὸς τοῦ πατρὸς ἀπολελεῖφθαι*. V, 39: *πρὸς τῶν ἡμετέρων στρατηγῶν ἐγκαταλελείμμεθα*.

Hann. 42: *ἐβάλλοντο πρὸς ἁπάντων ἐπιτυχῶς*. Civil. V, 85: *ἐμβαλλόμενον πρὸς ἐχθρῶν*.

Pun. 126: *πολιορκηθεῖσα πρὸς τοῦ Σκιπίωνος*. idem: Mithr. 53. Ill. 13: *πολεμούμενοι πρὸς Ἀντωνίου*. idem: Civil. II, 122. III, 4. V, 110: *ἐκ πεπολεμῆσθαι πρὸς Ἀγρίππα*.

Civil. II, 12: *ἐπιπεμφθῆναι πρός τε Βύβλου*. 56: *τινὶ πεμπομένῳ πρὸς Καίσαρος*. 57: *ὁ πρὸς τοῦ Καίσαρος ἀπεσταλμένος*. V, 60: *μεταπεμφθῆναι πρὸς Καίσαρος*. Praeterea conferas locos Gall. 12. Pun. 17. Syr. 59. 61. Mithr. 13. Civil. I, 36. 62. IV, 6. 10. 107. 136. V, 56.

b) Prooem. 12: *ἔπαθον πρὸς αὐτῶν*. Ital. 5, 4: *πολλὰ πρὸς αὐτοῦ πεπόνθασιν*. Hisp. 4. Syr. 11. Mithr. 14. Pun. 6: *θνήσκετον ἄμφω πρὸς τῶν πολεμίων*. idem: Civil. III, 57.

Mithr. 64: *τόδε πρὸς τοῦ παιδός γενέσθαι*. Similiter Civil. II, 128: *αἱρετοῦ πρὸς ἐκείνου γενόμενοι*. 121: *τὸ πρὸς τῶν ἑτέρων ἐσόμενον*.

Quod ne Appiani solum singulare videatur ac proprium, compara ex aliis posterioris aetatis scriptoribus Arrianum, apud quem *πρὸς* ita adhibitum etiam saepius invenies quam

ὑπό, cf. exp. Alex. I, 1. 5 (bis). 15. 16 (bis). 17 (bis). 19 (bis). 21. 23. 24. 25 (bis). II, 6 (bis). 10. 11 (bis). 16 (ter). 17. III, 2 (ter). 3. 6. 9 (bis). 10. 13. 18 (bis). 20 (bis). 22 (ter). 25 (ter). 26 (bis). 29 (bis). 36 (ter). IV, 1. 4. 6. 8 (quater). 9 (quater). 10 (bis). 11 (sexies). 12. 14. 16 (ter). 20. 24. 27. V, 2 (bis). 3. 4. 6 (bis). 7 (bis). 12. 13. 14. 15. 17 (bis). 19 (bis). 23 (bis). 24 (bis). 25 (bis). 26 (bis). 27. 29 (bis) aliaque permulta.

B. Cum dativo.

Tertio casui adiunctam praepositionem *πρὸς* in Appiani libris prope e dicendi consuetudine evanuisse videmus, nam decem tantum et quattuor locis nobis obvia fit plerumque locali notione praedita: Hann. 33: *τοῦ πρὸς θαλάσσῃ μέρους*. Pun. 113: *ἐχυρόν τι πρὸς τῷ τείχει καταλαβόντες* etc.

Hoc unum mihi notandum videtur duobus locis hanc praepositionem legi, ubi ex Atticorum ratione loquendi genetivum potius vel accusativum exspectes: Civil. IV, 105: *ἔχει δὲ πρὸς μὲν ἄρκτῳ δριμούς, πρὸς δὲ τῇ μασημβρίᾳ ἕλος ἐστίν*. Sed cum omnes codices hanc lectionem praebeant non est, cur ea mutetur.

Semel translate positum est: Civil. V, 134: *ἐκράτεις δ' ἂν ἤδη, πρὸς οἷς εἶχες, καὶ τῆς Ἰταλίας*, quo sensu plerumque *ἐπὶ* Appianus utitur.

C. Cum accusativo.

Accusativo praepositum *πρός*, cum eodem prorsus modo, quo Attici, videatur Appianus adhibuisse, nihil, de quo disputaremus inveni.

